

Gualtiero Calboli
Cornifici seu Incerti Auctoris
Rhetorica ad C. Herennium

Sammlung
wissenschaftlicher Commentare

De Gruyter

Gualtiero Calboli

Cornifici seu Incerti Auctoris
Rhetorica ad C. Herennium

Vol. I
Prolegomena, testo e traduzione

De Gruyter

ISBN: 978-3-11-055709-1
E-ISBN (PDF): 978-3-11-056041-1
ISSN: 1864-3426

Library of Congress Control Number: 2020938968

Bibliographic information published by the Deutsche Nationalbibliothek

The Deutsche Nationalbibliothek lists this publication in the Deutsche Nationalbibliografie;
detailed bibliographic data are available on the Internet at <http://dnb.dnb.de>.

© 2020 Walter de Gruyter GmbH, Berlin/Boston

Printing: CPI books GmbH, Leck

www.degruyter.com

*Luciae, uxori carissimae atque dulcissimae,
quae me nimium quantum hoc quoque in opere adiuuit.*

PRAEFATIO

Hoc opere ad finem perducto riteque iam confecto, restat, ut gratias maximas Luciae, uxori agam, quod me non modo in plagulis corrigendis adiuuit, sed mihi etiam in multis quaestionibus instituendis habendis et explicandis opitulata est, atque De Gruyter bibliopolae, qui opus hoc edendum exscribendumque suscepit, nempe De Gruyter librorum tamquam ex officina Serenae Pirrotta Doctori, quae hoc opus accepit suaeque Commentariorum continuationi inseruit, ac praecipue Doctori Marco Michaeli Acquafredda, qui duos annos totos nobiscum huic operi edendo corrigendo sedulo dedit operam. Nec minor gratia est profecto Floriano Ruppenstein habenda, qui manibus suis menda correxit, noua recepit, minuscula, manu modo exaranda, scite imitatus est. Satis superque temporis huic operi dicauimus, plura fortasse sumus, quam opus fuit, locuti, tempus est nunc abire silentes inter umbras tacitum memet ipsum iam iam futurum umbram.

Dabam Bononiae, a.d.III Id.Mart. Anno Domini MMXX.

SOMMARIO

Volume I

Prolegomena	1
Analisi del Testo	132
Sigla Codicum.	153
Testo critico	157
Traduzione Italiana	387
Tavole fuori testo	469

Volume II

Commento	
Commento Libro I	485
Commento Libro II	533
Commento Libro III	592
Commento Libro IV	630
Bibliografia Generale	875
Indices	
Index nominum propriorum qui in <i>Rhetorica ad C. Herennium</i> leguntur	939
Index locorum	941
Index rerum notabilium	984
Index Graecorum nominum	994

Volume III

Praemonenda	997
Lexicon Verborum omnium quae in <i>Rhet. Her.</i> adhibita sunt.	1003

PROLEGOMENA

Summarium

1. *Quanti sit Rhetorica ad C. Herennium* facienda. p.1
2. *Quibus annis Rhetorica ad C. Herennium* conscripta sit. p.8
3. *Quo modo Rhetorica ad C. Herennium* cum ceteris artis scriptoribus comparari possit. p.12
4. De *Rhetoricae ad C. Herennium* auctore, num Cornificius fuerit. p.19
5. Vtrius partis, popularium an nobilium, Auctor *ad Herennium* fautor fuisse uideatur. p.37
6. *Qua rhetorica doctrina Auctor ad Herennium* usus sit, qua Marcus Tullius, utroque opere comparato. p.51
7. *Vbi rhetorica doctrina, qua Auctor ad Herennium* usus sit, nata, ubi elaborata esse uideatur. p.64
8. *Quam philosophiam Auctor ad Herennium* secutus sit. p.72
9. *Quo sermone Cornificius in Rhetorica ad C. Herennium* conscribenda usus sit. p.77
10. *Quanti Rhetorica ad C. Herennium* ultimis Imperi Romani annis, prima et extrema Media Aetate, et Renatis Litteris facta sit. p.93
11. *Quomodo et quibus sit Rhetorica ad C. Herennium* libris manu scriptis tradita. p.110

1. Quanti sit *Rhetorica ad C. Herennium* facienda.

Hac de re praeter alios egerunt: F. Marx 1894; G. Calboli 1962; 1965; 1969/93; J.-M. David 1979; 1992; E.S. Gruen 1968; Leeman-Pinkster-Nelson 1985.

Rhetorica quae inscribitur ad *C. Herennium*, optima est omnium temporum, non ue-reor dicere, rhetorica *ars*, quippe cum eā corpus legum, ut ita dicam, rhetoricarum totum contineatur, quae umquam et usquam constitutae sint, idque eius auctor quatuor tantum libris expleuerit (Marcus Fabius non minus duodecim conscripsit libros) atque hoc breui spatio totam materiam rhetoricam collegerit et luculenter exposuerit. Quin tam bono sermone est hoc opus conscriptum, ut a Hieronimo Ciceroni adscriptum sit et a doctis omnibus usque ad humanistas, quos appellant, a Marco Tullio conscriptum esse iudicatum sit. Non multum igitur a uero rhetoricae thesauro afueris, si hunc textum sumpseris, pristinam ad dignitatem reduxeris, praefatione et commentario ditaueris, indicibus instruxeris et tamquam historiam omnem harum legum a Graecis et Romanis auctoribus usque ad nostram aetatem percucurreris.

Non aliud neque nouum neque uetus opus profecto repperies, Quintiliani opere tantum excepto, quo melius et attentius rhetorica materia usque ab Anaximene et Aristotele et Cicerone ad recentiores exposita sit. Quod et praefatione et commentario instructurum me esse constitui.

Rhetoricam autem ad C. Herennium plurimi factam esse inter omnes constat, quod minime mirum est, cum hoc opere tota ars rhetorica quattuor libris comprehensa et liberae rei publicae temporibus conscripta sit, huc adde, quod Marco Tullio a Hieronimo adscripta usque ad Angelum Decembrio Ciceronis auctoritate commendata peruenierit. Quod autem plus sexcentis libris manu scriptis tradita est, hoc ipso probatur *Rhetoricam ad Herennium* Media et insequenti aetate plurimi aestimatam esse.

Eo autem tempore *Rhetorica ad C. Herennium* conscripta est, cum ars rhetorica Romae in dies pluris aestimaretur. Quod saeculo a Chr.n. secundo iam cadente accidit, cum iudiciis iam contendi in administranda re publica, nondum armis, coeptum esset. Quae contentiones decem primis annis insequentis saeculi etiam frequentius fieri consuerunt, dum actiones in competidores exerceri non modo non intermittuntur, sed etiam ita saepius habentur, ut Joannes Michael David scribere ueritus non sit, accusatores illis annis incredibiliter multiplicatos esse et Francogallico nomine, ‘*monté des accusateurs*’ id significare non dubitauerit¹. Ludus enim est institutus Rhetorum Latinorum, ut appellati sunt, quos anno 92 L. Licinius Crassus et Cn. Domitius Ahenobarbus censores sustulerunt (Suet. *rhet.* 1,1; Gell. 15,11,2), qui decreuerint adulescentulos ad eos ire contra morem maiorum esse, neque a se probari. Disputauimus autem, utrum Latini Rhetores cum C. Mario fecerint, ut iam F. Marx, *Prolegomena* 141–153, suspicatus erat, et ego quidem ipse saepius contendere, necne. Cum enim iudiciis inter eos contendi coeptum esset, qui rem publicam administrarent, et causae complures actae iam essent, ut E.S. Gruen collegit (1968, *Roman Politics and the Criminal Courts 149–78 B.C.*), factum est, ut ars rhetorica, qua iudicia exerceri et ad optatam sententiam duci possent, instrumentum optimum haberetur et tamquam telum et gladius in inimicos adhiberetur. Pace igitur quod fiat ipsius Gruen et Kaster et Schmidt et Manfredini et nonnullorum aliorum, qui Marx confutare conati sunt, equidem probaui artem rhetoricam ciuilibus in contentionibus iam a principio adhibitam esse nec umquam in rhetores et philosophos ac postea in rhetores Latinos animaduersum esse, quin ciuilibus contentionibus ars rhetorica esse quodam modo implicata aut implicari posse crederetur (cf. G. Calboli, “Cornificiana 2” 57–102; Eund.: 1993a, 34–42; 502–506; Eund., “Su alcuni frammenti di Cornelio Sisenna” 189–210; Eund., “La retorica preciceroniana e la politica a Roma” 71–99). Errarunt igitur, qui et anno 161 ex Vrbe rhetores et philosophos a M. Pomponio praetore², nulla contentione ciuili considerata, eiectos esse crediderunt, et uehe-

1 Cf. J.-M. David, “Promotion civique et droit à la parole” 145.

2 M. Pomponium cum M. Catone coniunctum esse alio quoque casu probatur: cum enim M. Iuuentius Thalna praetor rogationem promulgauit, ut Romani bellum Rhodiis, Perse rege deuicto, indicerent (Liu. 45,21,1–8) – quod M. Cato oratione *Pro Rhodiensibus* habita prudenter dissuasit, qui a Rhodiensibus de portoriis suis nauibus remissum mallet – M. Pomponius tr.

mentius illi quidem errarunt, qui anno 92 rhetoras Latinos a censoribus improbatos putarunt, quod arti suae, nulla ciuili interposita suspicione, male prouiderent neque, quae philosophiae studia Graeci scriptores arti rhetoricae tamquam fundamentum subiecissent, ea nulla considerassent. Non fugit enim, mea sententia, censores rhetoricam artem ad ciuiles contentiones posse adhiberi neque esse omnibus hac ipsa de causa aperiendam. Quae memorauerant, ut hoc probarent, id est nullam ciuilem contentionem animaduersam esse a censoribus, omnia confutauit neque ullo modo accipi posse clarius luce ostendi (G. Calboli 1993a, pp. 503–506). Qui enim Ciceroni contenderant omnino esse fidem habendam, Schmidt et Gruen, cum Cicero Crassum decretum suum induxisset idcirco defendentem, quod noui rhetores et Graeca doctrina et philosophia (Schmidt) et humanitate carerent, et hoc argumento sententiam suam probauerant, Marcum Tullium mentitum non esse, cum posset ab iis refutari, qui Crassum audissent, non satis diligenter ab iis demonstraui Ciceronis locum consideratum esse. Marcum enim Tullium Leeman-Pinkster-Nelson recentissime ostenderunt (Leeman-Pinkster-Nelson, *De orat. Kommentar* 2. Bd., pp. 186–189 ad *de orat.* 3,93–95) mediam inter narrationem rerum uerarum et imaginariam, ut ita dicam, inuentionem tenuisse uiam, dum suam Crassi et Antonii imaginem proponere uult neque eum pudet mentiri, cum a nemine posset, triginta sex ciuilium bellorum annis interiectis, confutari. Qui uero disputationi interfuerant, quae Ciceronis libris inducitur, qui sunt *de oratore*, ii omnes iam supremum diem obierant. Nihil igitur eo argumento probatur, quo Gruen usus est. Neque alio usus est Kaster, qui totum se remisit Erikio Gruen, neque ulla protulerit sua. Quod si quis auctoritatibus certare malit, haud paucos memorabo, qui mecum faciunt, ut Gwynn, Carney, Gabba, Achard, David, Lentano³. Quin etiam David scripsit, ut supra uidimus, Romae illis annis tam multos accusatores exstitisse, ut accusatorum multitudo quasi cum inundante flumine (“montée des accusateurs”) comparari posset.

Nec satis est. Nam disputatum erat, cum rhetorica inquireretur, quando Romanam in urbem introducta esset, utrum artem rhetoricam Terentius poeta cognouisset, necne, et eam praecipue rhetoricae partem, qua statuum doctrina contineretur. Equidem enim contenderam, fieri nullo modo potuisse, ut tantus poeta, qui summum ius scripsisset saepe summam esse malitiam (*Haut.* 796), qui tres aduocatos de restitutione in integrum disputantes induxisset (*Phorm.* 449–459), qui orationes pro prologis conscripsisset (*Haut.* 11; *Hec.* 9; cf. D. Klose, *Die Didaskalien und Prologe des*

pl. una cum M. Antonio intercessit (cf. G. Calboli: M. Porci Catonis, *Oratio pro Rhodiensibus*, pp. 99–149). Equidem sensi Catonis orationem aduersus publicanos habitam esse aut saltem a re nummaria seiungi non posse, Bauman (*Lawyers in Roman Republican Politics* 191, n. 286) recte, mea quidem sententia, suspicatus est, Catonem, qui nauticam mercaturam et usuram ageret (Plut. *Cato Mai.* 21,6–7), Rhodios cum seruasset, sibi quoque et suis nauibus consuluisse, qui Rhodiorum portibus profecto uterentur.

3 Cf. A. Gwynn, *Roman Education* 67sq.; T.F. Carney, *A Biography of C. Marius* 14; E. Gabba, *Appiano e la storia delle guerre civili* 13sq.; G. Achard: *Rhétorique à Herennius* xxvi–xxxiii; J.-M. David, “Promotion civique et droit à la parole” 135–181; Eund., *Le patronat judiciaire* 291–301; 369–370. M. Lentano, *Rhetorica e Diritto* 18sq.

Terenz 47sq.; G. Calboli, “La retorica preciceroniana” 53sq.), rhetoricam artem ignoraret, tametsi iam Ennius scripserat *alii rhetoricam tongent, fr. var. 28* Vahlen). Terentius autem satis superque ostendit, bene cognitam se legem habere, Lucium contra Lanuuinum iudicalem rationem penitus ignorasse, statuum uero doctrinam Terentio cognitam esse uideri, qui status nonnumquam adhibuerit (*Phorm.* 12–15). Nec satis est. Nuper enim probaui Terentium, in Adelphois, cum scaenam Diphili quamdam Menandri in fabulam introduxisset, ita cauisse, ne de Plauti *Commorientibus*⁴ se sumpsisse appareret, ut ueritus non sit Diphili locum ita immutare, ut Ctesiphon primo diceret mori se uoluisse (261), et it Aeschinus frater confirmaret (273), sed postea, duobus tantum uersiculis interpositis, iturum eum fuisse exulatum e patria Aeschinus (275) adderet. Quod idcirco Terentius immutauit, ut suspicionem tolleret, nulla iam commoriendi occasione relicta, quicquam se de Plauti *Commorientibus* sumpsisse⁵. Qui tam attente se gesserit, qui fieri potuit, ut legem et rhetoricam artem ignoraret, qua in iudiciis contendere soleret? Qui rhetores igitur anno 161, ex Vrbe a M. Pomponio praetore, senatu consulto interposito, expulsi sunt, per eosdem qui possumus credere Romanos nullam rhetoricam artem nec rhetoricae artis tamquam caput, constitutionum doctrinam, ullo modo didicisse? Quod si quis obiecerit, a Luscio Lanuino Terentium admonitum esse nec per se ipsum scisse, nihil hoc ad nos respondebo pertinere, dummodo haec omnia Terentium scisse non infitiare, quoquo

4 Rem ita Terentius prima fabula explicauit: Ter., *Ad.* 6–14

Synäpöthnescontes Diphili comoedias: iamb. sen.
eam Commorientis Plauti' fecit fabulam.
in Graeca ädülescens est qui lenoni eripit
mërrëtricem in prima fabula: eum Plautus löcum
rëliquit intëgrum, eum hic löcum sumpsit sibi
in Adelphos, uerbum de uerbo expressum extulit,
eam nos acturi sümü' nõuam: pernoscite
furtumnë factum existümetis an löcum
rëprëhensum qui praetëritu' neglëgentiast.

Timebat enim Terentius, ne furti accusaretur, cum ex Graecis, ut dediticiis, sumi liceret, e Romanis, ut e Plauto, non liceret, quod Terentius, *Eunucus* primum dum agitur, Luscio Lanuino clamante *furem, non poetam fabulam dedisse*, iam expertus erat. Cf. G. Calboli 1999c: 166–173.

5 Crassioribus litteris ea significaui, quibus Aeschinus nos docet, quid frater facturus fuerit, ni Aeschinus ipse subuenisset: Ter., *Ad.* 261–275

SY. quid est ? CT. quid sit ? illi(u)s öpera, Syrë, nunc uiuo. festiuüm cäput; iam. oct.
quin omniä sibi post putarit esse prae meo commödo;
mälëdictä famam meüm läborem et peccatum in se trånstülit.

[...Aeschinus domo exit et Ctesiphonem fratrem hortatur, ut tristitiam omnem omittat]
CT. ëgo illäm [sc. tristitiam] herclë uero ömitto qui quidëm te häbëam fratrem: o mi Aëschinë,
o mi germane ! ah uërëor coram in os te laudare ämplius,
ne id adsentandi mägë quam quo häbëam gratum fäcëre existümes. [270]

AE. äge, inëptë, quäsı nunc nõn norimu' nõs inter nos, Ctësípho.

Hoc míhi dölet, nos paenë sero scisse et paene in ëum löcum
rëdısse ut, si omnes cüpärent, nil tıbí póssent auxiliärer.

CT. püdebat. AE. ah stultitiast istaec, nõn püdor. tam ob páruölam
rem páene e pátria ! túrpë dictu. deós quaeso üt istaec próhibëant. [275]

modo, seu Luscio seu quouis alio admonente, didicerit. Terenti igitur aetate Romae artem rhetoricam, quae anno 161 doceri uetita sit, haud mediocriter cognitam esse negari non potest.

Dum tamen Romani pueri seu adolescentuli arti rhetoricae operam dant, non modo tamquam quoddam telum hanc artem tractare didicerunt, sed Graecam quoque scientiam magis magisque inierunt et Graeca humanitate imbui numquam desiti sunt. Sed non ubiuis Graeca ipsa in terra litterae et liberales artes praesto erant, ut ediscerentur. Quodsi quis philosophiam discere auebat, Athenas erat ei profecto ueniendum, si grammaticam Alexandriam. Sed Rhodum si quis se contulisset, erant ei et philosophiae et grammaticae et oratoriae artis apertissimae uiae, cum summi harum artium magistri Rhodum, tamquam omnium artium ditissimam domum frequentare consuissent. Rhodum enim Eudemus ex Aristotelis spatiis se conferre non dubitauit, Panaetius item Rhodo in insula (et Romae) uixit, eadem autem in insula, Posidonius, ex noua Stoa factus philosophus, scholas habere non intermisit, grammaticam et rhetoricam Dionysius Thrax docuit, oratoriam Apollonius Molon et Apollonius ὁ μαλακός coluerunt, ut ne omnes eos, qui illa in insula floruerunt, nominem⁶. Nec doctrinam suam tantum adolescentibus impertire soliti sunt, sed scholas quoque habuerunt et artes conscripserunt, quibus adolescentuli et pueri illis in ludis uterentur. Sapienter enim Rhodii se gesserunt, qui quae munera a regibus sua propter seruigia acceperant, ea in ludis litterarum et philosophiae instituendis consumere non dubitarint. Tam bonos igitur ludos instituerunt, ut ex omnibus regionibus et Roma potissimum adolescentes Rhodum publicos in ludos conuenirent. Aelius Stilo, quantum scimus, et Cicero et Caesar et Varro et multi alii Rhodum Roma uenerunt, ubi non summos modo magistros, sed artes quoque eosdem in ludos conscriptas inuenerunt. Ex Rhodia enim arte quadam rhetorica, duo Ciceronis libri, qui sunt *De inuentione*, et *Rhetoricae ad Herennium* quattuor manasse uidentur, quod nonnullis argumentis probari potest. Rhodiae enim maritimae leges adhibitae sunt, ex quibus adducerentur exempla, Cares, Rhodius notissimus artifex tamquam artificum princeps, nominatus est.

Itaque est *Rhetorica ad C. Herennium* tamquam ars perfectissima conscripta, nec ullum aliud simile opus inueneris, Ciceronis rhetoricis libris imperfectis relictis, quibus prima tantum rhetoricae pars, quae est *de inuentione*, reliquis quattuor omissis, summa illa quidem doctrina ab adolescentulo Cicerone, Larissaeo Philone audito (Cic. *Brut.* 306sq.)⁷, comprehensa est. Ciceronis enim libri rhetorici, quibus inuentio continetur, uni sunt, quibuscum comparari possit. Quaestio igitur nascitur, utrum opus prius confectum sit, *Rhetoricane ad Herennium* an Ciceronis libri, qui sunt *De*

6 Livius Rossetti et Patrizia Liviabella Furiani 1993, ostenderunt, quantum philosophia Rhodi culta sit, eaque in insula primum Eudemum et Prassiphanem, Peripateticos, praeclaras habuisse scholas et magno consensu celebratos esse, dein Stoicos Panaetium et Posidonium non minorem famam assecutos.

7 Quod anno 1988, Carlos Lévy (“Le mythe de la naissance de la civilisation” 155–158) si audimus, ut ego quidem audio, accidisse putat. Sed hac de re amplius postea uiderimus.

inuentione. Quam quaestionem non equidem effugi, sed attentius consideravi, ut postea uiderimus. Id tantum nunc dixerim, omnibus nouis et ueteribus argumentis perpensis, non post annum a.Chr.n. octuagesimum sextum (86) et probabilius octuagesimum septimum (87) Marcum Tullium libris *De inuentione* conscribendis operam dedisse uideri. Ex quo efficitur, Ciceronis rhetoricos libros, qui sunt *de inuentione*, uno duobusue annis ante *Rheticam ad Herennium* (86–82) conscriptos esse. Praeterea libri ad *C. Herennium* magni momenti facti sunt, cum ab extremis Imperi Romani temporibus (quae ‘Spätantike’ Theotisci doctores appellant) ad Aeuum Medium est uentum et bis sunt illi quidem laudati a Hieronimo (*in Abd.* PL 25, 1098; *adu. Rufin.* 1,16) atque Ciceroni, qui multis de rebus scripserit, adscripti (“Cicero, ad Her.”, ut a Hieronimo memorati sunt)⁸. Cum autem *Rhetorica ad Herennium* composita est, pluris in dies ars rhetorica aestimari coepta est, eo scilicet tempore, quo tribunalia et ciuiles quaestiones ciuilibus in contentionibus adhiberi consuerunt. Quod praecipue secundo saeculo a.Chr.n. exeunte accidit, cum tam frequenter iudicia adiri coepta sunt, ut competitores aut aduersari ipsi seu damnarentur seu quouis adficerentur detrimento et legibus quasi armis certari solerent. Postea magis magisque est ad arma uentum neque ciuilibus bellis Romani pepercerunt. Quo tempore tam multa iudicia sunt habita, ut aquarum inundationi similia fuisse, ut supra diximus, iudicatum sit (Jean-Michel David, cf. supra ad p. 3). Latini quoque dicendi magistri exstiterunt, qui Latine artem rhetoricam docere non metuerunt neque censorum suscitare iram, qui in eos anno nonagesimo secundo (92) inuecti sunt. Censores uero, qui eos ludos sibi non placere edixerunt, uiros non spernendos illos quidem, sed L. Licinium Crassum et Cn. Domitium Ahenobarbum, fuisse accepimus, quorum prior magnus orator et Ciceronis magister exstiterit et de arte dicendi summa doctrina disputans a Marco Tullio sit tribus in libris, qui sunt de oratore, saepius inductus (Suet. *rhet.* 1,1; Gell. 15,11,2). Vtrum autem Latini dicendi magistri cum C. Mario fecerint, ut Fridericus Marx (*Prolegomena* 141–153) et ego quidem ipse credidimus, necne, disputatum est (cf. G. Calboli, “Cornificiana 2” 57–102; Eund.: Cornifici *Rhet. Her.* 34–42; 502–506; Eund., “Su alcuni frammenti di Cornelio Sisenna” 189–210; Eund., “La retorica preciceroniana e la politica a Roma” 71–99). Sed de his postea uiderimus.

Hodie tamen uiri docti, qui haec tractarunt, credere malunt magistros illos dicendi Latinos C. Mari potissimum et popularium partium fuisse fautores neque id a Crasso et Ahenobarbo censoribus, qui nobilitati potius fauerent, neglectum esse. Ab ea igitur discordia, qua Romana ciuitas illis diebus laborasset, non omnino edictum illud censorium liberum fuisse putatur, quod attentius postea inuestigabimus. At

8 Non a Hieronimo modo libri *ad C. Herennium* laudati sunt, sed etiam a Rufino (*gramm.* VI 568,19–22) et a Prisciano, qui saepius *Cic. ad Her.* laudauit (*gramm.* II 95,15–96,2 bis; II 96,17–19; II 104,6–9; II 108,9–11; II 197,16–17; II 307,19–308,1; II 355,17; II 357,6sq.; II 495,19–496,2; II 523,24–524,1), a Rufino, qui Hierusalem uiuebat, et a Prisciano qui Caesareae in Palestina fortasse natus erat: in Syria igitur et Palestina non iniuria Achard, *Rhét. à Her.*, p. xxxiv, hoc opus extremis Imperi temporibus uulgatum esse suspicatus est, cf. etiam G. Calboli, “Zur Textüberlieferung” 9–16.

L. Crassus a Cicerone in libro de oratore tertio (*de orat.* 3,93–95) idcirco contendens inducitur Latinos magistros a se esse edicto sublato, quod ‘doctrinam nullam nullamque humanitatem dignam scientia’, sed audaciam tantum dicendi persequerentur. Quod cum omnino uerum esse negauerim, tum prorsus falsum dicere non ausim, qui plures fuisse causas crediderim, neque unam tantum, quae ad doctrinam spectaret, ut E.S. Gruen (*Studies* 187–191), falso, mea quidem sententia, credit (cf. Calboli 1993a, 505sq.). At rhetorica arte et ciuili contentione, ut ita dicam, hoc quoque edicto pugnatum esse puto, cum oratoriam suam facultatem Crassus crediderit a nouis magistris sibi ablatum iri, qui ludum instituissent, quo iuuentus conuenire consuisset, et nouam dicendi disciplinam pro antiqua nobilium substituere non dubitasset, quam, si non totam sibi ablatam fore, at partim sibi de manibus iam iam elapsam uideret. Quo confirmatur haud parui Romae illis temporibus rhetoricam artem aestimatam esse.

Graeca autem docebatur rhetorica, quam, postquam Sophistae uiam hanc aperuerant, Anaximenes, Aristoteles, Theophrastus, Hermagoras Temnites elaborauerant quaeque apud Rhodios in ludis adhiberi coepta erat. Vnde artes, id est Τέχναι, confectae erant (cf. M. Fuhrmann, *Das systematische Lehrbuch* 11–28 [*Rhetorica ad Alexandrum*]; 41–69 [Cornifici *Rhetorica ad C. Herennium* et Marci Tulli Rhetorici Libri, qui sunt *De inuentione*]; 122–156 [a Platone ad Aristotelis Rhetoricam]). Namque Rhodo potissimum in insula ludi rhetoricae et grammaticae ita frequentati sunt, ut inde ab omnibus regionibus et praecipue Roma illuc uenire adolescentuli consueuerint. Haud parum pecuniae his ludis instituendis Rhodii impendere non dubitauerant – ut Franciscus Della Corte (1939) nos monuit – et multi uiri docti et rhetoricae et grammaticae et philosophiae periti hanc in insulam conuenerunt. Ex Romanis Rhodum se contulerunt Q. Mucius, Aelius Stilo, M. Antonius, M. Tullius Cicero, Seru. Sulpicius Rufus, C. Iulius Caesar, ut notissimos tantum memorem.

Ita ars rhetorica omnibus in partibus expolita exstitit, quae par et dignissimum opus profecto inuenisset, nisi Marcum Tullium puerum seu adolescentulum esset commentariola sua, ut ipse scripsit (*de orat.* 1,5), ad exitum perducere et inuentioni reliquas partes addere pertaesum. Facta est igitur *Rhetorica ad C. Herennium*, qua tota ars rhetorica quattuor libris contineretur⁹, opus magni momenti, cum Imperio extincto Romano ad Aetatem Mediam uentum est, et iam Hieronimus bis eam memorauit et Ciceroni ipsi, rhetoricae arti incumbenti uel, quo uerius dicam, summo studio operam danti adscribere ueritus non est (*in Abd.* PL 25, 1098). Quod profecto iis uerbis inductus Hieronimus fecit, quae simillima et nonnusquam ipsissima utroque primo in opere inuenit, id est in principio *Rhetoricae ad C. Herennium* et Ciceronis librorum, qui sunt de inuentione, ut equidem probaui (*Ciceroniana* 13, 2009, 119–121), cum praesertim Hieronimi condiscipulus, Rufinus (*Apol. adv. Hier.*

⁹ Marcus Fabius Quintilianus *Institutionis* suae duodecim libros confecit, non nimios equidem dixerim, qui rhetoricam semper colui et artem dicendi, sed haud negauerim nimios illos libros esse.

2,7) nos doceat saepius Hieronimum libros minus diligenter per omnes paginas percurrere consuesse. Nec nimis nos credideris fidei tribuisse Rufino, Aeli Donati primo cum Hieronimo auditori, postea aduersario Hieronimi infestissimo facto, cum idem in uitium Hieronimus incurrisse uideatur, qui *fulminandi* notionem, Demostheni uni a Cicerone concessam (*Att.* 15,1a,2), utrique Demostheni et Aeschini tribuerit (*adu. Rufin* 1,15) itemque suptilitatem Chrysippo adscripserit, qui contra a Frontone omnia augens et praemuniens et explanans fuisse dictus sit (p. 140,10–16 van den Hout), dum Hieronimus Chrysippum Antipatri similem facit – ut Varro fecit, *ling.* 6,1 – et sibi Varronem, non ipsum Chrysippum, ostendit cognitum esse. Adsimilare igitur Hieronimus consuevit, nec mirum qui tot libros legerit totque auctores nouerit. Quidni utrumque opus, isdem prope inceptum uerbis, id est *Rhetoricam ad C. Herennium* et libros *De inuentione*, Marco Tullio adscripserit?¹⁰

2. Quibus annis *Rhetorica ad C. Herennium* conscripta sit.

Hac de re praeter alios egerunt: Achard 1989; G. Calboli 1993a: 12–17; Cancelli 1992: 26–34; Douglas 1960; Müller 1994; W. Stroh 2003.

Quando autem *Rhetorica ad C. Herennium* conscripta sit, disputatum est. Tribus potissimum temporibus propositum est hoc opus esse conscriptum, nempe annis a.Chr.n. (1) 86–82; (2) 86–75/70; (3) quinquagesimo fere anno (50). Hac ipsa de re disputationem totam inueneris in G. Calboli 1993a: *Cornifici Rhet. Her.* p. 12–17, ubi tamen prima sententia accepta est, scilicet *Rhetoricam ad C. Herennium* inter octuagesimum sextum et octuagesimum secundum annum a.Chr.n. compositam esse. Nec aliter sensisse uidentur, qui nuperrime de hac quaestione scripserunt, Achard (p. VII), Cancelli (p. 26–34), Müller (p. 11 Adn. 38) (tametsi Achard accuratus esse uoluit, qui addiderit: “entre la mi-86 et la fin de 83”), id est annis interpositis inter C. Marii consulatum septimum et eam, quam Sulla rei publicae administrandae constitutionem instituit (IV 53,66), cum nihil hoc in opere, ut Marx memorauit, possit inueniri, quod cum ea conueniat, quam Sulla introduxerit, rei publicae administrandae conditione (cf. Marx, *Prolegomena*, p. 155; Caplan, *Introduction*, p. xxvi; Calboli 1993a: 15)¹¹. Qui tamen *Terminus*, ut uocant, *ante quem* argumento ita nititur *e silentio*, ut et posteriore tempore suspicari possimus *Rhetoricam* esse conscriptam, nullo tamen pacto post septuagesimo a.Chr.n. anno, cum neque Hortensius neque Cicero inter claros oratores memorati sint, sed ii tantum qui secundo saeculo et ineunte primo uixerint (*Rhet. Her.* IV 1,2 *Gracci aut Crassi consequi facultatem*; IV 5,7 *Alatis igitur exemplis a Catone, a Graccis, a Laelio, a Scipione, Galba, Porcina, Crasso*,

¹⁰ Qua de re cf. etiam infra p. 95.

¹¹ Vtrumque opus, id est *Rhet. Her.*, et Cic. “in der zweiten Hälfte der achtziger Jahre” conscriptum esse defendit, qui rem prioribus tantum libellis attigerit nimiaque celeritate sit usus, Marcus Deufert, *Textgeschichte*, p. 151.

Antonio). Maxime uero probabiles ii exstant anni, qui inter octuagesimum sextum et octuagesimum tertium positi sunt. Neque ad eam facile accesserim sententiam, quam Achard (p. XIII), de *Rhetorica ad Herennium* optime meritis amicus, protulit, id est, quae anno octuagesimo tertio iam conscripta extaret, eam edi, postquam Sulla rerum potitus est, nequisset. Quam sententiam etiam Nüßlein, ad p. 352, secutus est, qui tamen Achard sequi solitus sit. Probatum enim non est, *Rhetoricam ad Herennium* longe seu longissime latuisse et extremis tantum Imperi Romani temporibus in Africa esse detectam, ut Fridericus Marx, *Prolegomena* 1, suspicatus est. Crediderat enim uir ille doctissimus atque de *Rhetorica ad Herennium* quam qui maxime meritis “Anno p.C.n. fere 350 in Africa terra” librum detectum esse, quo *Rhetorica ad Herennium* contineretur. Nam, ut Marx scripsit, “grammaticus nescioquis uel bybliopola ex scriniis domus cuiusdam Herenniae uel Herenniorum adfinis in lucem protraxit hunc librum quam *Rhetoricam ad Herennium* dicimus cum per IV saecula ille latitauerit doctis indoctis plane ignotus”. Quam equidem opinionem neque omnino acceperim neque prorsus reiecerim, cum eadem non nihil ueri contineatur. At cum Africa in terra libenter admiserim hoc opus cognitum esse, non hoc acceperim latitasse tot annos, qui contenderim *Rhetoricam ad Herennium*, a quodam rhetore, Cornificio nomine, quem Quintilianus saepius memorauerit, esse conscriptam, et dein neque Apuleio, neque Prisciano ignotam fuisse (cf. G. Calboli, “Cornificiana 2”, 1–57, et *Apul. met.* 4,35 et *Prisc. gramm.* II 95,14; 357,6; 495,19 *Cicero ad Herennium; Cicero ... ad Herennium*). Neque tam facile in eam sententiam iri posse dixerim, qua Marx contendit *Rhetoricam ad Herennium* in Italiam a Romano, nempe in Clasicum suum, latam esse atque eiusdem codicis, quo esset in Italiam a Romano lata, filium seu nepotem Herbipolitanum codicem esse. Quod autem *Rhetoricae ad C. Herennium* libro primo concluso Herbipolitano in codice Romano bis plausus datus sit, uerbis, quae sunt *Romaniane uiuat Romaniane uiuat*,¹² hoc profecto probatur, ex Africa terra textum hunc uenisse, neque tamen eadem atque Romani et Augustini uia. Postquam enim Vandali Africam prouinciam potiti sunt, haud paucos libros in Hispaniam translatos esse constat, codicem autem Herbipolitanum ex codice quodam manasse, qui in Laudradi Episcopi scriptorio Lugduni ab Hispanis exulibus esset confectus (ut Antonius Hafner, *Zur Textüberlieferung* 179, erroribus consideratis errandique causa (Visigothica origine) detecta, luculenter probauit). Hac igitur uia in Herbipolitanum scriptorium Herbipolitani codicis pater, ut dicitur, uenisse uidetur, tametsi non hoc argumento excluditur *Rhetoricam ad Herennium* in Italiam a Romano ipso introductam esse. At in Galliam et Germaniam altero itinere, quod nunc memorauimus, hunc librum, id est Herbipolitani patrem peruenisse et mihi et Magdalenae Spallone uisum est probabilius. Distinguendum est igitur, num in Italiam *Rhetoricae ad Herennium* opus a Romano allatum sit – quod

12 Vocatiuum autem ipsum pro nominatiuo positum Africam consuetudinem redolere docuerunt Adamik (1987), et, quod ad hunc usum, non ad Cornifici locum pertinet, Petersmann (1998) et praecipue Adams, 2003: 512–515.

probabile manet, non certum – et utrum Herbipolitanus liber et Romaniani salutatio ex Italia an ex Hispania in Galliam et Germaniam uenerint. Quod re uera ad Mutilorum pertinet familiam – quam appellant –, cum sit Herbipolitanus huius familiae optimus ex codicibus unus, quos tamen iam cum Integris contaminatos esse nemo excludere potest, hanc quaestionem magni momenti esse uidemus. De origine enim agitur huius familiae codicum, quam directe ex Africa uenisse uix credibile est, cum tot tantaque Hispanicae Gallicae Germanicae originis Mutilorum codicum uestigia exstent. Exstant enim *Rhetoricae ad C. Herennium*, codicum, quibus tradita est, familiae, quantum constat, tres, Mutilorum, Integrorum, Expletorum (cf. G. Calboli, “Zur Textüberlieferung der *Rhet. Her.*”, 11–16; Eund., *Gnomon* 68, 1996, 211; Eund., “Further Comments” 120–122). Sed de his attentius postea uiderimus.

Deinde alio tempore A.E. Douglas contendit *Rhetoricam ad C. Herennium* esse conscriptam, scilicet quinquagesimo fere a.Chr.n. anno, cuius tamen auctor et praecepta et exempla prius collegisset. Quod Douglas hoc argumento conatus est probare, quod differentibus clausulis praecepta et exempla exposita sint et idcirco exempla prioribus annis collecta esse uideantur. At hoc alio modo explicari potest, si quidem clausulae re uera differunt – quod non ita perspicuum est, ut in dubium uocari non possit –, nam alia materia aliud genus scribendi requirit, nec eodem modo definitiones et exempla possunt proferri, cum nonnumquam errorum exempla, cum uitanda, quae essent, explicarentur, ex aliis scriptoribus et poetis sumpta sint. Videntur igitur anni inter octuagesimum sextum et octuagesimum tertium a.Chr.n. maxime probabiles esse, quibus sit *Rhetorica ad C. Herennium* conscripta. Quod Guernerium quoque Suerbaum (Herzog-Schmidt, *Hdb. I 552*) nuper sensisse laetor, qui scripserit: “Die wahrscheinlich 86–82 entstandene *Rhetorica ad Herennium* (§ 287: *Auctor ad Herennium*) gilt weithin als Zeugnis dafür, wie man sich die von Plotius gelehrte latinisierte griech. Rhetorik vorzustellen hat”.

Aliam autem uiam ingressus est Guilfridus Stroh (2003), qui probare conatus est *Rhetoricam ad Herennium* post Ciceronis *De oratore* (a. 55 a.Chr.n.) conscriptam esse. Quod, quamquam nullo modo probauit (melius dicam nullis argumentis probauit), attentius tamen uideamus oportet, ne quicquam dubium hac de parte relinquatur. Illud igitur totis uiribus Stroh demonstrare contendit, aliud *declamandi* notione et *declamatione* ipsa *Rhetoricae ad Herennium* et Ciceronis significatum esse temporibus, aliud incipientis Imperii Romani aetate, cum declamatione una totaque oratio contineri uideretur. At hoc plurimis *Rhetoricae ad C. Herennium* et Ciceronis locis adsumptis, falsum esse prorsus probatur, nec satis est. Nam Stroh multis exemplis ostendit declamandi notionem et declamatores et ipsas declamationes ita a Cicerone esse contemptas, ut semper, cum haec uocabula memoraret, M. Tullius aliquod contemptationis aut despicientiae signum addiderit. Notam scientiam, non nouam illam quidem adhibuit Stroh, sed idcirco utilis eius disputatio est, quod plurima exempla Ciceroniana huius consuetudinis attulit. Quin Cicero ad Atticum scripsit inuiso sibi factos esse Irtium et Pansam, qui Marcum Tullium secum etiam declamare coegissent (*Att.* 14,12,2). Sed diligenter Stroh negare incipit, *declamationem* cum Graeco

uocabulo, quod est ἀναφώνησις, comparari posse et Bonner (1949: 20 Adn. 3) errasse, qui hoc suaserit. At Bonner dubitauit, quae Graece appellaretur μελέτη utrum melius uocaretur ἀναφώνησις an φωνασκία, et denique ἀναφώνησις melius putauit ad uocis exercitationem, quae apud *Rhetoricam ad Herennium* inueniretur, adcommodari. At hoc Guilfrido nostro non probatur: “Der Name selber scheint nämlich daher zu kommen, dass man die Stimme allmählich von den tiefsten Tönen beginnend in die Höhe steigen ließ (ἀνάγειν) und sie dann wieder zurückbrachte” (p. 16). Mihi uero contra uidetur per ἀναφώνησιν potius eam uim et actionem esse significatam, qua quis ἀναφώνημα emitteret, ut Cornelius Sulla apud Plutarchum (*Pomp.* 13,7) Pompeium Magnum maxima uoce ilico salutauit, nimirum non ex murmure incipiens et usque ad summam uocis contentionem salutationem suam intendens neque alio modo in Africa Pompeium ab uniuerso exercitu salutatum esse putamus: Plut. *Pomp.* 13,7 καὶ προελθὼν [sc. Σύλλας] ἀπήντησεν αὐτῷ, καὶ δεξιωσάμενος ὡς ἐνήν προθυμότατα μεγάλη φωνῇ Μάγνον ἠσπάσατο [...]. “Ἐτεροι δέ φασιν ἐν Λιβύῃ πρῶτον ἀναφώνημα τοῦτο τοῦ στρατοῦ παντὸς γενέσθαι κτλ. Creditne Stroh gradatim Magnum salutatum esse Pompeium? At non idem Stroh defendit *declamatione* et *declamandi* notione a Cicerone id significatum esse, quod ab Auctore *Rhetoricae ad C. Herennium*, quippe quod a Marco Tullio numquam contemptio et despicientia quaedam omissa sit, cum de declamationibus loqueretur, quod multis exemplis probare non intermisit. Quid attinebat igitur contendere, *Rhetoricam ad Herennium* post Ciceronis *De oratore* compositam esse et ita compositam, ut Auctor *ad Herennium* (III 11,21sq.) Ciceronis opus (*de orat.* 3,224) tamquam exemplum haberet (ad p. 10 adn. 19)? Dein contendit Stroh per declamationem ab Auctore *ad Herennium* totam continuatamque orationem esse intellectam: “für den Auctor [ad Her.] spezifisch ist offenbar nur, dass er an das Sprechen ganzer Reden denkt”(pp. 14sq.). Cur igitur Auctor locos nonnullos excerpere consueuit? Nempe declamationes etiam per fragmenta adhiberi poterant. Graues leges imponere difficile est, difficilius eas, quae nunquam exstiterint, inuenire. Bene autem Stroh fecit, quod connexiones persecutus est et nonnumquam inuenit, ut eam, quam ad p. 31 adn. 103, enuntiauit: “Cicero im *Orator* rechtfertigt sich speziell gegenüber diesem Vorwurf [id est, quod ornatui nimis indulserit, “dass er (nicht auf Überzeugung zielende) Prunkreden halte”] hauptsächlich dadurch, dass er einerseits das *delectare* an der Stelle der älteren (und aristotelischen) *conciliare* (so noch *de orat.* 2,182 ff.) unter die Überzeugungsmittel bzw. *officia oratoris* einschwärzt (69 ff.) – eine, soweit ich sehe, **kaum gewürdigte Neuerung**¹³ –, andererseits von Anfang an seinen *orator perfectus* entschieden von der epideiktischen Rhetorik der Sophisten”. Quod haud pauci iam animaduerterant, ut, ne multos memorem, Jakob Wisse, Elaine Fantham, Lucia Montefusco, cuius nunc uerba, nouem tantum annis ante Stroh scripta, laudabo: “When *uulgi iudicio et doctorum* (*Brut.* 186) the orator is able to speak in such a way that *doceatur is apud quem dicetur, ... delectetur, ... moueatur uehementius* (*Brut.* 185) then and only then

13 Hanc notationem ne ali cuiquam quam mihi ipsi tribuas.

can he be considered the perfect orator” (L. Calboli Montefusco, “Aristotle and Cicero on the *officia oratoris*” 90).

Ad summam, Stroh bene fecit, quod ad hos ueteres textus reuenit, sed melius profecto fecisset, si ingeni celeritatem compescuisset suam atque alios quoque sensisset, aliquando uera inuenire potuisse, et eos praecipue alios, quos ille saepius ne nosse quidem curasset. Hic quoque amicus Stroh, sed magis amica ueritas.

3. Quo modo *Rhetorica ad C. Herennium* cum ceteris artis scriptoribus comparari possit.

Hac de re attentius egerunt: Andreas Weidner 1878; Fridericus Marx, *Prolegomena* 77–84; Joachim Adamietz 1960; Lucia Calboli Montefusco, *La dottrina degli “status”* 201–206; Georgius Kennedy, *The Art of Rhetoric* 104–107; Servator Núñez: 1997.

Vt supra iam memorauimus, eo tempore *Rhetorica ad C. Herennium* conscripta esse uidetur, quo ars rhetorica summum in Graecia fastigium iam attigerat et ita suis legibus et praeceptis instructa erat, ut uno prope libro uel pluribus contineretur, quo quibusue tota ars exponeretur dicendi. Quae disciplina consuetudoque discendi non pueris, sed adolescentibus iam apud Graecos aperta erat et adolescentuli duodenis iam ab annis uel paulo post ad rhetorem se conferre consueuerant. Considerandum est igitur, haud parui momenti hanc dicendi exercitationem fuisse, ut boni oratores bonique ciues ab rhetorum spatiis ad rem publicam capessendam uenire non intermitterent¹⁴. Quod usque ad extrema Imperi Romani tempora uiguit, cum ciues Romani rerum scientiam a loquendi et dicendi bona consuetudine numquam separandam putauerint.

Supra disputatum est, quando *Rhetorica ad C. Herennium* conscripta esse uideatur et conuenimus anno octuagesimo sexto conscribi coeptam esse et octuagesimo secundo (uel tertio exeunte) ad finem esse perductam. Nunc id tantum addendum uidetur, hoc opus iis annis Romae compositum esse, quibus C. Marius eiusque fautores rem publicam administrarunt, dum Cornelius Sulla in Asia aduersus Mithridatem bellum gerit et abest ab Vrbe. Quae duo bene cum ea concinunt opinione, qua Auctorem *ad Herennium* popularium partium fuisse putatur et C. Marius potius quam L. Sullae fauorem. Quod non ad hoc opus tantum pertinet, sed ad eos quoque rhetoras, qui Latini sunt appellati et C. Mario fauisse uidentur. Horum princeps L. Plotius fuit, qui eum dicendi ludum aperuit, in quem L. Crassus et L. Ahenobarbus censores anno nonagesimo altero a.Chr.n. inuecti erant, cum etiam Latinos rhetoras pari uituperatione afficerent. Sed Marianis partibus restauratis, L. Plotio, quem C. Marius unice dilexerat (Cic. *Arch.* 20), ludum suum rhetoricum seu redintegrare seu producere concessum est. Neque silentio praetereundum censeo, C. Marius Herenniorum

14 Cf. F. Woerther: Hermagoras, p. IX.

clientem fuisse (Plut. *Mar.* 5,7)¹⁵, quam clientelam cum per se ipsam haud magni ponderis fuisse putamus, attamen neglegendam non esse, si modo id animaduertere uelis, C. Marius, Herennia gens, Auctor *Rhetoricae ad C. Herennium* quam inter se noti fuerint. Nam diu multumque disputatum est, utrum Auctor *ad Herennium* Marianae partis fautor fuerit necne, sed nostra aetate plurimi uiri docti eo conuenerunt, ut populari parti Auctorem potius quam nobilium factioni fauisse crederent. Quod rerum scriptor ex recentioribus optimus Joannes Michael David (1992) confirmare non dubitauit. Quoniam autem C. Mari partem secutus est, minus mirum est Auctorem *ad C. Herennium*, Sulla rerum potito, obliuione tam diu obrutum esse, donec eum ex tenebris Marcus Fabius, retoricae artis quam qui maxime peritus rhetorumque singularis cognitor eruit et saepius, ut mox uiderimus, laudauit. Quodsi non eum, quem Cornificium Marcus Fabius saepius laudauerit, *Rhetoricae ad C. Herennium* auctorem fuisse probabitur, iam fieri potuisse concedendum est, ut *Rhetorica ad Herennium* serius Africa in terra denuo reperiretur et Ciceroni adscriberetur, ut a Hieronimo (*in Abd.* PL 25, 1098; *adu. Rufin.* 1,16) bis laudata est¹⁶.

Ciceronis igitur temporibus rhetorica tamquam telum aduersus inimicos adhiberi coeperat ab iis, qui de administranda re publica contenderent. Quae uero differentia inter rhetoricam, nouam Graecam scientiam, et ueterem Romanam iuris prudentiam exstiterit, nulla alia melius causa quam Curiana patefacta est, qua Ciceronem si audimus, L. Licinius Crassus rhetoricam, Q. Mucius Scaeuola iurisprudentiam defendit¹⁷. Huc adde saepissime causas inter competitores in capessenda re publica agi solitas esse (cf. E.S. Gruen, *Roman Politics and the Criminal Courts* 1968), facile concedas oportet, magni tunc rhetoricam artem aestimandam fuisse. Neque

15 Quamquam Plutarchus narrat C. Marium stomachatum esse, quod qui quaestor iam factus esset, Herenniorum in clientela permanere putaretur. At re uera Herennius aduersus C. Marium testimonium reddere hoc modo uitauit, ea nempe usus excusatione, contra clientem nullo modo se agere uelle, quod fortasse ipsi C. Mario haud ingratum fuit (cf. G. Calboli, 1965: 76–78).

16 Equidem contendi (G. Calboli, 2009b: 121–123) ab ipso Hieronimo, definitionum similitudine decepto, *Rhetoricam ad Herennium* Ciceroni adscriptam esse.

17 De causa Curiana nuper egit Ioannes Negri, *Cicerone come 'fonte di cognizione' del diritto privato romano. L'esempio della causa curiana*, pp. 165–183, qui contendit a Cicerone *scriptum* et *sententiam* contrapposita esse, cum *scriptum* a Scaeuola, *sententiam* a Crasso defensam esse Marcus Tullius scripserit. At re uera alterum alteri oppositum non esse oratorem, et Ciceronem mentitum. Nam a Crasso eum esse defensum, qui testamentum scripsisset, eiusque memoriam, quae in hereditate, illo mortuo, tantum maneret (p. 183). Illis enim temporibus id a Romanis potissimum cautum esse, ne eius, qui testamentum fecisset, uoluntas et memoria omnino obliterarentur, cum nullum mortuorum regnum exstare Romani putarent et maiorum memoriam rebus contineri translatis heredibus, quos elegissent, crederent. At mihi probari nullo modo potest Ciceronem hac ipsa de causa, quae omnibus innotuisset, uel mentiri uel immutare quicquam potuisse neque saltem eo modo rem enarrare, qui magis cum statuum doctrina quam cum rebus ipsis, quae accidissent, congrueret, ut Ioannes Negri putat. Scripsit enim Negri Ciceronem hanc ipsam causam ad statuum doctrinam conformasse idque nimis obnoxie fecisse (“intesa in modo troppo meccanico ed astratto”, p. 182). Vno uerbo Marcus Tullius – Negri si audimus – eam inter Scaeuolam et Crassum contentionem finxit, quae re uera nulla exstiterit. Quae mihi nullo modo probantur.

ullis armis neque gladiis ipsis tunc abstineri est coeptum. Vtrum autem oratio et toga plus ponderis habuerit, ut Cicero ipse seu sensit seu sibi persuadere conatus est, an gladius, rebus ipsis diiudicatum est et Corneli centurionis casu, qui in curia affirmare, capulum gladi tenens, ueritus non est Caesarem Octavianum nondum uigesimo natum anno consulem, si patres dubitarent, per gladium se facturum, si quidem uera Suetonius, qui haec omnia narrauit (Suet. *Aug.* 26,1), non ementita tradidit (ementita putat enim Syme, *Rom. Rev.* 185 adn. 7).

Vt Romae rhetorica exstiterit breuique tempore creuerit, insequentibus uerbis luculenter, ut puto, Marcus Fabius exposuit: *Quint. inst.* 3,1,19–21 *Romanorum primus, quantum ego quidem sciam, condidit aliqua in hanc materiam M. Cato, post M. Antonius incohauit: nam hoc solum opus eius atque id ipsum imperfectum manet. secuti minus celebres, quorum memoriam, si quo loco res poscet, non omittam. praecipuum uero lumen sicut eloquentiae, ita praeceptis quoque eius dedit unicum apud nos specimen orandi docendique oratorias artes M. Tullius. post quem tacere modestissimum foret, nisi et rhetoricos suos ipse adulescenti sibi elapsos diceret, et in oratoriis haec minora, quae plerumque desiderantur, sciens omisisset. scripsit de eadem materia non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, non nihil pater Gallio, adcurati uero priores Gallione Celsus et Laenas et aetatis nostrae Verginius, Plinius, Tutilius.*

Neque Quintilianus, quod ad rhetorum successionem attinet, errauit, tametsi *Rhetorica ad Herennium* nusquam hoc ipso uel alio nomine uocauit. Nam tres artes rhetoricas continuata serie memorauit, Antoni (96–95 a.Chr.n.), Ciceronis (87), Cornifici (86–82, praecipue figurarum cultoris, quod cum libris *ad Her.* congruit), quarum priores duae sunt imperfectae relictae, *rhetorica* tantum *ad C. Herennium* ad finem perducta est, et ideo prima perfecta ars rhetorica haberi potest, quae lingua Latina composita sit. Libros autem Ciceronis rhetoricos, qui de inuentione sunt et *De inuentione* tantum appellari solent, anno 87 uel 88 a.Chr.n., id est uno duobusue annis ante *Rhetoricam ad C. Herennium* a Cicerone compositos esse, Larisseo Philone et Molone Rhodio auditis (Cic. *Brut.* 306sq.) satis superque demonstraui Carolus Lévy (1995: 155–158). Sed iam Fridericus Marx (*Prolegomena* 77)¹⁸ annum elegerat nonagesimum primum (91) et Georgius Kennedy (1972: 107) temporis spatium ma-

18 Optime autem iam 1878 Andreas Weidner, p. IV, scripserat: "Atque cum idem [sc. Cicero adulescens XVIII fere annorum] in rhetorica arte nobile quoddam Academicarum rationis praeceptum magno cum ardore commendat tamquam uitae communis firmamentum, conligere inde licet, rhetoricam illam non antea a Cicerone neque compositam neque editam esse, quam Marcus Tullius a Philone imbutus fuerit Academicorum doctrina, i.e. non ante annos 88–87" (cf. Cic. *inu.* 2,10). Cum autem tanto ardore Marcus Tullius enarrauerit se sese Academicorum praeceptis dedisse, consentaneum est, non postquam tantus ardor deferuisset, rhetoricis libris operam illum dedisse, i. e. – addiderim – ipsissimis annis 88–87. Quod Ioannem Ward (2018 : 93–102) non effugit, qui in Ciceronis *De inuentione* ea repperit, quae ad philosophorum potius disputationes quam ad dicendi usum ciuilesque contentiones, ut in *Rhetorica ad C. Herennium*, adcommodata essent ("Cicero's introduction, at 1.24.34 [...] is clearly inspired by the atmosphere of philosophical discussion rather than by the requirements of a theory of public speaking", J. Ward, 2018: 102).

luerat, quod inter nonagesimum primum et duodenonagesimum (91–88) a.Chr.n. intercessisset. Quibus omnibus consideratis, equidem annos octuagesimum septimum/octuagesimum sextum a.Chr.n. id tempus dixerim, quo Ciceronis libri rhetorici conscripti sint, id est uno uix anno ante quam *Rhetorica ad C. Herennium* componi coepta est. Tunc Cicero, qui ante d. VII Non. Jan. anno a.Chr.n. centesimo sexto natus erat, uix in uigesimum uitae suae annum intrauerat. Ita Ciceronis (*de orat.* 1,5) haesitatio ipsa explicatur, qui se *puerum* primo, deinde *adulescentulum*, ut mox uiderimus, dixerit. Hic oportet autem ea memoremus, quae Servator Núñez 1997, 18–22, miro acumine animaduertit, sed nimio ad fingendum ingenio. Putauit enim Núñez Ciceronis libros, qui sunt *De inuentione*, inter nonagesimum primum annum et octuagesimum septimum (91–87) ita conscriptos esse, ut Cicero primo aduersaria sua collegerit, oratore M. Antonio nusquam memorato, qui anno octuagesimo septimo (87) interfectus sit – regula seruata de mortuis modo fieri posse mentionem –, dein opus redegerit, quod ad nos peruenit, quod tamen extremo octuagesimo anno (80) confectum sit. Palam ostenditur, quam difficilis haec quaestio sit explicatu, sed uix credibile mihi quidem uidetur a Cicerone id opus *rude* appellatum, cui uigesimo sexto aetatis suae anno iterum, ut Núñez credidit, incubuisset (*quae pueris aut adulescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt*).

Quodsi non post annum octuagesimum septimum credideris libros rhetoricos suos, qui *De inuentione* sunt, a Cicerone esse confectos, optime poteris tria, de quibus ambigitur, explicare: (1) cur Cicero se *puerum* dixerit huic materiae operam dedisse (Cic. *de orat.* 1,5 *Vis* [Marcus Tullius Quintum fratrem adloquitur] *enim, ut mihi saepe dixisti, quoniam quae pueris aut adulescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt, uix sunt hac aetate digna et hoc usu, quem ex causis, quas diximus, tot tantisque consecuti sumus, aliquid eisdem de rebus politius a nobis perfectiusque proferri*). Nam Cicero iam ad undeuigesimum aetatis suae annum aut uigesimum peruenerat, neque aliter atque *puer* Caesar Octavianus, cum uigesimum prope annum explesset, appellatus est (Cic. *ad Brut.* 1,15,7); (2) scholas Romae tunc habuerunt uiri doctissimi ex Graecia rhetores duo, Philo Larisseus, qui philosophiam praecipue docuit, et Rhodo ex insula Apollonius Molon: Rhodiorum profecto rhetorica Romae non defuit (cf. G. Kennedy, *The Art of Rhetoric* 104; J.T. Kirby, “Ciceronian Rhetoric” 14). Id potest igitur facilius explicari, cur Rhodiorum rhetorica disciplina duae, quae illis temporibus Romae exstiterint artes, repletae fuerint¹⁹, nempe Cice-

19 Fieri non potest, ut eas omnes Commentariorum meorum Adnotationes memorem, ubi Rhodiorum disciplinae, seu rhetorica seu grammatica, a me laudatae sunt, attamen, ne locus desit, ubi hoc effectum sit et quo quis uti possit, qui hanc rem attentius inuestigare uoluerit, Notas omnes nunc memorabo, in quibus cuiusque libri loci laudati sunt, ubi est de Rhodiorum disciplinis et γραμματικαῖς et ῥητορικαῖς τέχνησιν atque de Rhodis philosophis et rhetoribus actum: *Commentarium Libri I*, Adn. 13; 24, 31, 36, 37; 40 [crassioribus litteris eas adnotationes significauit, in quibus attentius his de rebus disputatum est]; *Libri II* 23; 24; 42; 45; 87; *Libri III* 6; 30; 32; 33; 37; 44; 45; 46; *Libri IV* 27; 31; 35; 55; 68; 73; 80; 116; 186; 187; 199; 247; 277; 280; 307.

ronis *De inuentione* et *Rhetorica ad C. Herennium*. Quae communis utriusque operis materia minus a Cicerone immutata esse uidetur, magis a Cornificio (quem Auctorem *ad Herennium* uocare forsitan uelis). Nam Cornificius, seu per se ipsum seu per *doctorem* suum, quem ipse ut pristinae et Graecae doctrinae correctorem laudauit (*Rhet. Her.* I 11,18), illam ipsam materiam minorem et simpliciore fecit, cum *doctor* ostendisset, *id quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere, illos* (id est pristinae seu Graecae seu Latinae, si umquam exstiterit, artis scriptores) *distribuisse dupliciter et bipertito* (cf. *Commentarium* nostrum ad *Librum I*, adn. 24). (3) neque alio tempore Cornificius scripsisse uidetur, Marcum Fabium (*inst.* 3,1,19–21) si audimus, atque *Rhetoricam ad C. Herennium* oportet conscriptam esse concedas, id est post Ciceronis libros, qui sunt *De inuentione*, cum Cicero ante Cornificium memoratus sit. Quod neglegendum nullo pacto est, si id attentius inquirere uelis, id est quo modo *Rhetorica ad C. Herennium* conscripta sit. Hac de re diu multumque disputatum est, cum tres explicationes prolatae sint eorum, quae utroque in opere similia nonnunquam isdem uel similibus uerbis exposita sint: (1) auctorem *ad Herennium* Cicerone usum esse, (2) *Rhetoricam ad Herennium* a Cicerone cognitam et adhibitam esse, (3) quae similia utroque in opere sint, ex communi Latino tamquam fonte manasse, qui tamen scriptis contineretur Lingua latina confectis. Quae omnia ad hoc spectant, ea sunt in Calboli: 1993a, ad pp. 25–29, breuiter enarrata, ubi et eos inuenies, qui ex recentioribus uiris doctis unam aut alteram de tribus iuerint in sententiam. Primam uero, quam equidem potissimum secutus sim, post Andream Weidner (1878) a nemine iam defensam uideris. Neque tamen Weidner contendit Ciceronis libros rhetoricos a Cornificio adhibitos esse, sed id tantum, Marci Tullii libros ante *Rhetoricam ad Herennium* esse conscriptos, quod etiam Quintiliani loco (*inst.* 3,1,8–18) confirmatum esse putauit (p. XIII), ubi Cornificius post Marcum Tullium laudatus est. Quod tamen una condicione accipi posse uidetur, si a Cornificio conueneris, ut equidem opinor, *Rhetoricam ad C. Herennium* compositam esse. Nec satis est. Opinatus est enim Weidner (p. V) triennio illo sine armis, quod fuit annis 86–84, conscribendis libris, qui sunt de inuentione, Marcum Tullium operam dedisse, Diodoto Stoico apud Ciceronem etiam tum habitante. Serius aliquanto, quam nos ipsi credimus et quod cum Cicerone ‘puero’, ut ipse sese appellat, possit congruere. Non omnia igitur, quae Weidner sensit, accipi posse putamus, etiamsi nonnullis de rebus rectissima ab illo excogitata esse uideantur. Magni uero ponderis ea sunt profecto ducenda, quae Joachinus Adamietz (1960) de utroque opere egit, atque diligentissime, ut opinor, inuestigauit, nempe alterum ut alteri opus uel minimis in rebus respondere uideatur. Ex iis igitur, quae attentissime Adamietz disputauit apparet, hoc reiciendum securissime esse, id est *Rhetoricam ad Herennium* a Cicerone adhibitam esse, cum non item dixerim de contraria sententia, id est Ciceronem ab Auctore *Rhetoricae ad C. Herennium* cognitum esse. Potuisse igitur Cicero ‘nobilium’ ille ‘quoque fontium’ esse uidetur, quibus Cornificius siue Auctor *ad C. Herennium* usus sit: “Die Änderungen im Detail und im gesamten System [...] schließen mit Sicherheit aus, daß Cicero ad Her. vor Augen hatte” (Adamietz, *Ciceros de inuentione* 95). Negat autem Ada-

mietz contrariam explicationem tam clare patere, ut praeferenda sit, idque duabus de causis: scilicet (1) locis duobus comparatis, qui sunt Cic. *inu.* 1,22 et *Rhet. Her.* I 5,8, atque (2) quod adulescentuli Ciceronis eiusque admodum ignoti quasi per fragmenta compositum opus plane inuersosimile sit tamquam fontem ad imitandum uel saltem ad consulendum adhibitum esse. Quae duo cum spernenda non esse mihi quidem uideantur, non ita tamen probari posse dixerim, ut sine ulla dubitatione accipiantur. Operae est igitur praetium utrumque locum attentius inuestigare:

Cic. *inu.* 1,22 *In contemptiōnem adducentur, si eorum inertia, negligentia, ignauia, desidiosum studium et luxuriosum otium proferentur.* Rhet. Her. I 5,8 *In contemptiōnem adducemus, si inertiam, ignauiam, desidiā, luxuriam aduersariorum proferemus.*

Nempe Ciceronis in loco nonnulla exstare Adamietz contendit (*Ciceros de inuentione* 24), quae parallelo in loco in *Rhetorica* desint, quae est *ad Herennium*, purum igitur et incorruptum fontem in *Rhetorica ad Herennium* seruatum esse, quem ditare Cicero non dubitauerit, duobus etiam adiectiuis additis, quae tametsi raro ab utroque tamen auctore adhibita sunt, *desidiosus* et *luxuriosus* (cf. *Th.L.L.* V,1, 712,34–82; VII,2, 1930,37–1933,67, sed non omnia *luxuriosi* exempla allata sunt in Thesauro). Quod cum accidere potuit, tum non tam certe confirmari potest. Nam in *Rhetorica ad Herennium* hanc doctrinam simpliciore factam nullo pacto potest excludi, cum saepius communis fons in *Rhetorica ad C. Herennium* simplicior et expeditior factus certissime sit. Quod hoc ipso loco (i.e. *inu.* 1,22~*Rhet. Her.* I 5,8) confirmatur, quamquam hic *Rhet. Her.*, duobus tantum adiectiuis omissis, simplicior facta est. Nam simplicius toto in libro secundo et expeditius auctor *ad Herennium* processit, et praecipue, cum eam exponeret, quae continuo uenit de *insinuatione*, doctrinam (I 6,9–7,11: hic enim de *insinuatione*, quam Graece ἔφοδος appellatur²⁰, agitur), cum praecipue eam auctor ipse simpliciore se fecisse gloriatus sit, quam apud *ceteros artis scriptores* extiterit²¹, et re uera haud paulo simplicior, Cicerone comparato, facta est (G. Calboli, 1972: 122–126). Item est insequens constitutionum siue statuum doctrina simplicior et expeditior facta, cum ex quattuor statibus, qualem apud Ciceronem inuenimus et apud Hermagoram consentaneum est inueniri potuisse, ad tres tantum redacta sit, qualem apud oratorem M. Antonium et secutos Antonium inueniri posse et Marcus

20 Quod Graecum nomen, quo *insinuatio* ἔφοδος appellaretur, ab Auctore ipso memoratum est, non est, ut puto, neglegendum; nam probatur Graecam doctrinam et fortasse originem ab auctore neglectam non esse, siue directe Graecum ad fontem accesserit, siue indirecte per eum, qui ἔφοδον memorasset.

21 *Rhet. Her.* I 9,16 *Adhuc quae dicta sunt, arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quia de insinuationibus noua excogitauimus, quod eam soli nos praeter ceteros in tria tempora diuisimus, ut plane certam uiam et perspicuam rationem exordiorum haberemus.* Vt apparet, auctor etiam *ceteros artis scriptores* considerauit, quibuscum primo ait consociatum se esse (*arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus*), quosque dein a se relictos esse auctor prae se fert (*soli nos*), dum solum se, quae scripserit, meditatam esse gloriatur. Quod ad *insinuationem* spectat, cf. Luciam Calboli Montefusco: Fortunatiani *Ars Rhetorica*, pp. 368–370.

Tullius et Marcus Fabius testentur, idque a doctore suo Cornificius (I 11, 18), maioris simplicitatis causa, effectum esse addat (*noster doctor tres putauit esse [...] ut ostenderet id, quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere, illos distribuisse dupliciter et bipertito*, qua de re cf. Luciam Calboli Montefusco, *La dottrina degli "status"* 201). Quod igitur ad similitudines ac differentias pertinet, quae inter Ciceronis *De inuentione* et *Rhetoricam ad C. Herennium* exstiterint, duo mihi uidentur accidere potuisse:

- (1) utrumque opus ex communi quodam fonte manasse, quem tamen recte Adamietz (*Ciceros de inuentione* 95) contendit Latinum tantum esse potuisse, cum nonnusquam et Cicero, *De inu.*, et Auctor *ad Herennium* non modo eadem doctrina, sed iisdem uerbis usi sint²². Saepius tamen in *Rhetorica ad Herennium* doctrinam esse simpliciore factam.
- (2) praeter *ceteros artis scriptores* etiam Ciceronem, *De inu.*, ab Auctore *ad Herennium* eiusque doctore adhibitum esse, idque in capitibus, quae usque ad III 8,15, de inuentione sunt, accidisse. Dein, a capite III 9,16, Auctorem *ad Herennium* (eiusque doctorem, quos diiungere neque libet neque licet) seu ad Graecum reuenisse fontem, qui ex insula Rhodo exstaret, et ea addidisse, quae in *Rhetorica* tantum *ad C. Herennium* inueniantur, seu ex Latino hausisse ignoto quodam fonte, cum hac quoque de parte consentaneum sit, simpliciore Graecam doctrinam ab Auctore factam esse. Sed neglegendum non est doctrinam de figuris (σχήματα Graece appellantur), quam in libro quarto *Rhetoricae* inuenias *ad C. Herennium*, nouam fuisse doctrinam, ubi saepius argumenta (πίστεις) in figuras conuersa sunt²³. At, ut tute uideris, lector, Auctoris ipsis uerbis, quae sunt *cum ceteris artis scriptoribus*, fontem quendam Latinum (Marcum Tullium?) in priore totius operis parte nullum prorsus fuisse credere uetamur.

Cur tamen et quomodo Auctor *ad Herennium* eiusue doctor ignotum adhuc Ciceronem, ut Adamietz animaduertit, adhibuerit uel adhibere prorsus potuerit, incertum est.

At Cicero, ut C. Marius, erat Arpini natus Arpinatemque hominem sese esse

22 Neque potest excludi, cum definitiones saepius iisdem prope uerbis memorentur, memoriae eas mitti consuesse, et scholasticae consuetudini similitudines adscribendas esse, quales sunt, ut exemplum unum addam de multis (crassioribus litteris ea scripsi, quae eadem utroque in auctore inueniuntur):

Rhet. Her. I 2,2 **Inuentio est excogitatio rerum uerarum aut ueri similium, quae causam probabilem reddant. Dispositio est ordo et distributio rerum, quae demonstrat, quid quibus locis sit collocandum. Elocutio est idoneorum uerborum et sententiarum ad inuentionem adcommodatio. Memoria est firma animi rerum et uerborum et dispositionis perceptio. Pronuntiatio est uocis, uultus, gestus moderatio cum uenustate.**

Cic. inu. 1,9 **Inuentio est excogitatio rerum uerarum aut ueri similium, quae causam probabilem reddant; dispositio est rerum inuentarum in ordinem distributio; elocutio est idoneorum uerborum et sententiarum ad inuentionem adcommodatio; memoria est firma animi rerum ac uerborum ad inuentionem perceptio; pronuntiatio est ex rerum et uerborum dignitate uocis et corporis moderatio.**

23 Et ueterem et nouam hanc ipsam doctrinam fuisse contendit, qui ex Aristotelis *Rhetorica* et *Poetica*, quod ad ordinem figurarum pertinet, ducta sit, et, argumentationis partibus inter figuras receptis, nouissime ditata esset.

saepius memorauit. Erat autem C. Marius, cum Herenniis clientela coniunctus. Hac igitur uia, quamquam C. Marius iam mortuus erat, Auctor *ad Herennium* potuit Marci Tullii adolescentuli in familiaritatem quandam uenire, cum praesertim tres omnes, et Auctor et Herennius et Marcus Tullius rhetoricae operam darent. Quod autem auctor *Rhetoricae ad C. Herennium* atque eius *doctor*²⁴ popularium partium et praecipuae C. Marii, ut uidentur, fautores fuerunt, notitiam et familiaritatem quandam Marci Tullii, inter nobiles nondum adlecti et populari potius parti fauentis, suscitare potuisse haud incredibile est. Quod uero nondum Cicero innotuerat, ut insequentibus accidit annis, id suadere auctori *ad Herennium* potuit, ut liberiore animo Ciceronis seu commentariis seu libello uteretur²⁵, neque Marcum Tullium pluris faceret quam *ceteros artis scriptores*.

Quam uero alteram explicationem ex duabus adduximus quamque equidem libentius acceperim, ea una tantum condicione confirmari potest, si Ciceronis libros rhetoricos, qui sunt de inuentione, anno octuagesimo septimo uel octuagesimo sexto a. Chr. n. conscriptos esse credas. Quod cum iis de causis, quas supra enumerauimus, credatur oportet, tum idcirco, quod nuperrime Marcus Tullius Romae Philonem Larissaeum et Apollonium Molonem audiuerat, quod anno octuagesimo septimo accidisse Cicero ipse, *Brut.* 307, testatus est (cf. etiam *Commentarium meum ad librum II*, adn. 87). Apollonius autem Molo eam Τέχνην ῥητορικὴν Rhodo Romam intulisse uidetur, et fortasse eandem in insula composuisse, quam tamquam fundamentum et fontem rhetoricae artis et Marco Tullio et auctori *ad Herennium* et eius doctori fuisse certissime apparet. Quantum autem hac arte, Rhodiorum ex scholis et rhetoricis ludis allata, Marcus Tullius et auctor ad Herennium (quem Cornificium nobis nominare libet) eiusque doctor usi sint, quantaque cum cura et diligentia et conseruandi fide siue immutandi studio in conscribendis suis, singulis tantum locis inuestigari potest, ubi satis appareat hanc τέχνην adhibitam esse. At constitutionum seu statuum tradenda in doctrina, ubi in *Rhet. Her.* I 11,18, *noster doctor* apertis uerbis laudatur, hanc uidemus quasi per seriem doctrinam allatam et immutatam esse, insequentibus tamquam stationibus, quas ita enuntiare non ueeor: Rhodiam Τέχνην ῥητορικὴν → Marcum Tullium → *Antonium secutos* et '*nostrum doctorem*' → *Rhetoricam ad C. Herennium*.

4. De Rhetoricae ad C. Herennium auctore, num Cornificius fuerit.

De hac re praeter alios egerunt: F. Marx, *Prolegomena* 69–73; G. Calboli 1963–64: 1–57; 1993b; 2010a; Cancelli: 1992: 15–22; G. Achard: 1989: XX; Müller: 1994: 8sq.; G.C. Alessio 2000; Adamik 2010.

24 Cf. G. Calboli, "Introduzione alla inventio" 216sq.

25 Quae supra de Terentio, Menandri et Diphili fabulas in Latinum uertente, disputauimus, ita conferri potest, ut priuate (*Rhet. Her.*), quod accideret, ab iis distinguas, quae publice Terentius facere coactus sit.

A Hieronimo et post Hieronimum, in *Abd.* PL 25, 1098, anno fere trecentesimo nonagesimo quinto (395) p.Ch.r.n., a Rufino, Grillio, Prisciano *Rhetorica ad C. Herennium* Ciceroni adscripta est (cf. G. Calboli, “Zur Textüberlieferung”, pp. 3–5), quod usque ad medium saec. XV immutatum mansit, id est usque eos ad annos, quibus Angelus Decembrio libros *De Politia Litteraria* conscripsit et anno millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo p.Ch.r.n. (1462) edidit (quod opus post auctoris mortem anno MDXL et MDXLII iterum editum est – Angelus Decembrio supremum diem obiit paulo post 1467)²⁶. Omnium enim primus Angelus Decembrio dubitavit an Marcus Tullius *Rhetoricam* scripsisset *ad C. Herennium*, quod dubium libello suo Raphael Regius postea 1491 confirmavit²⁷.

Quis autem princeps *Rhetoricam ad C. Herennium* Cornificio adscripsit? Quae quoniam ascriptio Marci Fabii compluribus locis nitatur, ubi Cornificius laudatus est, eam consentaneum est, ut putemus illis natam esse annis, cum Poggius Bracciolini anno millesimo quadringentesimo decimo sexto (1416) librum manu scriptum repperit Sangallensem (hodie fortasse Turicensis 288²⁸ appellatur), quo totus Quintilianus continebatur et Quintilianus iterum perlegi coeptus est. At aliter res sese

26 Cf. N. Witten 2002: 12 (ed.princeps Augustae Vindelicorum anno 1540 publicata est, sed *Politiā* Angelus Decembrio iam Pio II, Romano Pontifici, dicaerat ante 1464, quo anno Pius II mortuus est, et liber primus *Politiāe*, quo tota res continetur, iam ante 1464 profecto conscriptus erat (Witten 2002: 9). Anno autem 1467 a Perusinis Angelo Graecas litteras docendi officium oblatum est, quod num acceperit ignoramus, cum nulla huius anni et insequentium eius uitae notitia exstet. J. Monfasani, “Three Notes”, pp. 114; G. Achard, p. XV. Angelus Decembrio Leonellum Estensem (qui tamen anno millesimo quadringentesimo et quinquagesimo mortuus est, 1450) disputantem induxit et negantem *Rhetoricam ad Herennium* a Cicerone esse conscriptam. Polit 1,10,2 *Tum Leonellus: “Cum de rhetorica arte”, inquit, “ad Herennium memorare, omnia Ciceronis in eo genere uolumina inclusisse mihi uideo. Audeo igitur iure meo dicere, quod forte miremini, rhetoricorum illud opus ueterum, ut dicitis, ex Cicerone non prodiisse”*. Apparet igitur aut hoc totum a Decembrio inuentum et fictum esse aut tunc, cum primum, id est anno fere millesimo quadringentesimo et sexagesimo (1460) dubitari coeptum esse, an *Rhetorica ad C. Herennium* a Marco Tullio concripta esset. Quarum sententiarum equidem alteram libentius acceperim, cum Leonellus marchio Ferrariae Vniuersitatem renouare et promouere uellet, idque contra Vniuersitatem Bononiensem quodam modo sonaret, ubi strenue defendebatur Ciceronem auctorem ad Herennium fuisse (cf. G. Calboli, “The Rhetorica ad Herennium in the Renaissance” 287).

27 R. Regio, *Vtrum ars rhetorica ad Herennium Ciceroni falso inscribatur*, Venetiis 1491.

28 J. Cousin, *Quintilien* Tome I, p. CX, prudentissime se gessit, qui nos admonuerit, nonnullorum tantum iudicio (inter quos est autem et M. Winterbottom, in *Praefatione* Editionis Oxoniensis, p. vii, ponendus), quem Sangallensem manu scriptum librum Poggius appellauerit, eum nihil aliud esse quam Turicensem 288, dum alii Laurentianum Lat. XLVI,7, eligunt, malunt alii et ipse Cousin rem iniudicatam, quae non satis liqueat, relinquere. At ne credideris, quae ad Cornificianos pertinent, ea aliis modo in codicibus ac Mutilis reperiri. Exstant enim in Ambrosiano E. 153, qui mutilus est, ubi magna patet lacuna (9,4,135–12,11,22), quae tamen nihil ad Cornificianos locos, ut ita dicam, spectat (qui loci omnes a G. Calboli, *Cornificiana* 2, p. 114, ordine laudati sunt). Neque est neglegendum, a Joanne Ward (2018: 379–398) satis superque ostensum Quintiliani *Institutionem* iam saeculo duodecimo et decimo tertio diu multumque, cum praesertim de oratoris officio ageretur, adhibitam esse, tametsi nonnumquam “in a chaotic and indiscriminate manner” (p.393).

habuit. Nam Remigium Sabbadini (*Il metodo degli umanisti*, p. 48 adn. 1) si audimus, Cornificium ut auctorem *Rhetoricae ad C. Herennium* Franciscus Puteolanus (anno millesimo quadragesimo octuagesimo quarto, 1484) princeps nominavit. Traditio sic est interrupta, qua *Rhetorica ad C. Herennium* a Cicerone libris rhetoricis suis addita esse uidebatur, quasi *Noua Rhetorica ad Veterem*, ut noua *Vetus* corrigeretur, quae a Mediae Aetatis doctis cum libris Marci Tullii, qui sunt de oratore, confusa erat, cum et ab ipso Marco Tullio uix digna iudicata esset *hac aetate et hoc usu, quem ex causis, quas diximus, tot tantisque consecuti sumus*. Loquebatur autem Cicero de libris suis rhetoricis, quos cum opere, quod est de oratore, compararet, sed de *Rhetorica ad C. Herennium* hallucinati sunt docti Marcum Tullium esse locutum.

Vt mox uiderimus, Philippus Cancelli id conatus est demonstrare fefellisse Sabbadini, sed Cancelli potius fefellit, quem effugerit, quo de Cornificio Puteolanus loqueretur, nam non unus exstitit Cornificius et is quoque, qui uituperandi gratia memoraretur. Qua de re quoniam nonnulla scripsi (2010a), iam mea ipsa, si licet, rettulerim uerba, ne lingua quidem Anglica, qua usus sum, immutata:

«R. Sabbadini (1920: 48 note 1) wrote “Il primo a fare il nome di Cornificio fu Francesco Puteolano nel 1484 circa, il quale scrive: «*Rhetorica Cornificii ad Herennium*, quae falso Ciceroni ascribitur, non modo Ciceronem non redolet, sed vix digna ipso Cornificio est». AFFO, *Scrittori Parmig.* II, p. 298”. I controlled Sabbadini’s quotation of Affò, and found at the page quoted by Sabbadini the following statement by Affò: «as Francesco reminds in the quoted preface to Fortunatianus (which has been published without the year, but has been certainly offered by Francesco to his sponsor Jacobus Antiquarius about 1484). It appears from the reference to the war concluded 1484 by the Bagnolo peace – come prosegue a rammentare Francesco [Dal Pozzo] nella citata [a p. 293] Dedicazione preposta a Fortunaziano, impresso bensì senz’anno, ma offerto senza dubbio da lui al suo Mecenate [Jacopo Antiquario, who was secretary of Ludovico il Moro] verso il 1484 come appare dall’indicarsi le guerre suscitate allora in Lombardia [this is a reference to the Bagnolo peace 1484]».

I was forced to give the whole note by Sabbadini, because Annalisa Belloni (“Tristano Calco”, p. 301) accused Sabbadini, as I said, to be a liar (“Sabbadini’s quotation of Affò isn’t true and I could not anyway verified it – il rinvio con cui il Sabbadini rimanda all’Affò non risponde al vero e non ho potuto verificarla [sic: this must be corrected with ‘verificarlo’] in alcun modo”. And more because such a competent scholar as Gian Carlo Alessio accepted this wrong criticism against Sabbadini by Belloni. Gian Carlo Alessio, on his side, (“*An Rhetorica falso sit inscripta ad Herennium*”, p. 149) writes: “La formazione di Beroaldo, che diviene in Bologna l’artefice di un rinnovamento di studi, apre su Francesco Dal Pozzo, il Puteolano, che, già lontano da Bologna e trasferito a Milano, dove morì fra il 1489 e il 1490, in una lettera del 1484, riferita da Remigio Sabbadini, avrebbe escluso che l’opera fosse di Cicerone ed avrebbe per primo avanzato il nome di Cornificio, di cui anche appena avrebbe ritenuta degna l’opera [...]. Una testimonianza importante che occorre espungere, perché è stato evidenziato che il rinvio al Puteolano non è verificabile attraverso la bibliografia da cui Sabbadini avrebbe ricavato l’opinione del dotto parmense”, it follows a reference to Belloni’s page quoted above. However both Belloni and Alessio are wrong, because it is very easy to read Puteolanus’ page quoted by Affò. It has been handed down in an incunabulum I controlled in Bologna (in the

Library of the Archiginnasium) and in the Bodleian Library in Oxford. A copy of this incunabulum can be found in 13 Italian libraries (*Indice Generale degli Incunaboli*, uol. II: C-F, p. 237), 2 in Florence and 5 in Rome. I give now the whole Puteolanus' page, because Cornificius' authorship he gives has been subjected to criticism and such a criticism originates from Puteolanus' words:

Francisci Puteolani Epist. ad Jac. Antiquarium (in Fortunatiani *Ars Rhetorica*): "*Libri vero qui Aristotelis nomine de retorica circumferuntur: quos tamen ego non coniecturis solum: sed certissimis argumentis Aristotelis puto non fuisse. Quid habent quod eloquentiam adiuvare possint? Eos desidero tantopere a Fabio laudatos. Reliquorum omnium scripta de hac arte volumina: equidem post Ciceronem & Fabium maximo intervallo posuerim. Rhetoricos suos Cicero ipse non probat. Reliqui eiusdem oratorii libri eminentissima et absolutissima opera ornant magis quam instruunt neque se demittunt ut oratoris infantiam alere dignentur. Veteranis quoque tyronibus accommodatiora [sic! Femininum apparet esse, insequenti 'adscribitur' considerato, sed debent ambo 'accommodatiora' et 'retorica' neutra esse. Sic putamus liberius haec uerba a Puteolano concordata esse: neutra uidelicet accommodatiora et r(h)etorica feminina [Quae (retorica)] excepta esse GC] retorica Cornificii ad Erennium. Quae falso Ciceroni adscribitur, non modo Ciceronem non redolet, **sed vix digna ipso Cornificio est. Fabii Quintiliani institutiones ab urbere [sic! pro ubere] matris ad consumationem perducunt oratorem et omnibus filis, omnibus numeris constant; sed in plerisque monitoris non docentis munus funguntur remque adeo difficilem congestis tot opinionibus reddunt ut quasi per oceanum nauigantibus portus desperetur. In Consulto [id est: Fortunatiano] exactissima eadem breuissima dicendi ratio sentitur, omnibus probatur aperta expolita. hoc solum desyderabunt homines quia vitio temporum non ad unguem castigata aedi potuit. Itaque haud infitiabor me saepe ac multum addubitasse an impressoribus traderem**".*

[...] As for the Puteolanus' page I quoted above, an assertion made by Filippo Cancelli [Marco Tullio Cicerone], *La Retorica a Gaio Erennio*, pp. 76f., seems (at first glance) not to be completely wrong: 'From the expression employed [by Puteolanus] – Cancelli writes – we can infer that Puteolanus should not be the first who suggested Cornificius' authorship, because such an authorship seems to be usual, and reflects a matter already under discussion and open to doubt'. ~ "Dal modo di esprimersi, si arguisce che non fosse il Puteolano il primo a fare il nome di Cornificio, ch  questo sembra per lui sia un dato corrente, ma rispecchia una discussione al riguardo gi  viva da tempo, con i dubbi anche sulla nuova attribuzione proposta". Cancelli gives a misleading interpretation of Puteolanus' words who said only "this work is not even worthy of Cornificius himself": **sed vix digna ipso Cornificio est**. That is a kind of allusion to a Cornificius who wasn't worth considering: 'the *Rhetorica ad Herennium* seems to be unworthy even of such a worthless author as Cornificius'. This is the sense I agree we can find in these words. However Cancelli didn't understand who is the Cornificius taken into account by Puteolanus. Because another Cornificius existed in the cultural tradition of the Middle Ages and was more famous, employed by a very famous author as John of Salisbury, namely the Cornificius criticized by John of Salisbury in his *Metalogicon*, the Defence of the Trivium. In this work Cornificius is the *nom de plume* given by John to an adversary of 'logic', the spokesman of those who advocated less attention to 'logical' studies and, in general, to the culture and were called Cornificians, a movement still expanded before the time of

Puteolanus²⁹. It is easy to suppose that Puteolanus bore in mind such a person when he made the quoted reference to Cornificius. On the other hand the Cornificius quoted in the *Metalogicon* was a detractor of Virgil, mentioned in the Scholia Bernensia to Virgil (2. 39 et Philargyrio, *Verg. Ecl.* 2, 39)³⁰ and it is not excluded that Puteolanus was referring to this Cornificius or, better, combined both references, i. e. that of John of Salisbury and that of the Virgil's life, because even John of Salisbury used this reference, though he admits that "this new Cornificius is less clever than the old one" (Joann. Sar. *Metalogicon* 1. 2). We have, therefore, to do with a previously discussed Cornificius – as Cancelli rightly supposed –, but this is the beginner of the Cornifician movement and Puteolanus' expression can be better understood in this prospect: the *Ad Herennium* was not even worthy, in his opinion, of such a worthless author as the Cornificius of the *Metalogicon*.

Equidem saepius contendi *Rhetoricam ad C. Herennium* a Cornificio conscriptam esse, quem Quintilianus memoravit, quamquam numquam oblitus sum opinionem hanc esse, non certissimam sententiam, quoniam nusquam Marcus Fabius 'Cornificius in libris *ad C. Herennium*' uel similia scripsit, cum Hieronimus, Rufinus, Grillius, Priscianus ita auctorem laudent ut scribant 'Cicero *ad Herennium* (locos collegi in G. Calboli, "Zur Textüberlieferung", pp. 4–15). Quod eodem libello his uerbis explicavi: "Die Notwendigkeit dieses Werks als *Ad Herennium* zu benennen, geht auf jeden Fall mit der Zuschreibung an Cicero zusammen, denn wir finden bei Hieronymus zum ersten Mal die Benennung *Ad Herennium Tullii libri*. Denn man mußte zwischen den verschiedenen Werken Ciceros' unterscheiden" (Calboli, "Zur Textüberlieferung", p. 3). Erat uidelicet Cornificius Marco Fabio, utpote qui unius tantum rhetorici operis auctor esset, notus, id est *Rhetoricae ad C. Herennium*.

Philippus autem Cancelli, quoniam Puteolani uerba in dubium, ut supra uidimus, uocauit, quippe qui Ioannis Salisberiensis *Metalogicum* et Cornificianorum sectam minus meminisset, a Raphaele Regio addit non Ciceronem tantum in dubium esse reuocatum, quasi cui falso *Rhetorica ad Herennium* adscriberetur, sed mentionem quoque factam de Laurentio Valla, qui non tam procul ab illa fuisset dubitatione, quamquam *Rhetoricam ad Herennium* numquam ali auctori attribuerit, atque ante eius aetatem esset attributa, id est Marco Tullio. Neque hoc Fridericum Marx (*Prolegomena* 64) effugerat, qui iam de Valla mentionem fecerat. Si tamen Philippus Cancelli adnotatiunculas legisset, quas Monfasani huic quaestioni dedicare ueritus non est, prudentius se profecto gessisset et, quae de Valla scripsit, hallucinatus non esset. Nam Monfasani secunda ex tribus adnotatiunculis, quas libello quodam comprehen-

29 On the Cornifician movement see J.O. Ward 1972: 543–553; 1995a: 276f.; 2018: 275–303.

30 Philargyrius et Scholiasticus Bernensis usi sunt prope isdem uerbis ad Vergili *Eglogas* II 39: *Dixit Damoetas, inuidit stultus Amyntas, cum stultus explicarent: 'Amyntas. Allegorice Cornificium dicit, qui contra Virgilium conatus est scribere'* (Schol.); *Amyntam Cornificium uult intellegi, qui conatus est contra Virgilium scribere, uel ideo stultus, quia inuidit* (Phil.) (cf. G. Maggiulli, *Enc. Virg. I*, p. 896). Nec satis, nam Joannes Ward, 2018: 208, addidit: "Gualo, it seems, was a Parisian logician who flourished c.1115–1130. De Rijk [(1966: 4–8) ...] identifies Gualo with John of Salisbury's 'Cornificius', asserting that his influence revived in the 1140 and became the subject of a much interest". Ita allegoria per allegoriam, priori noua addita, multiplicata esse uidetur.

dit (“Three Notes”, pp. 112–115), his uerbis rem totam absoluere non dubitauit: “Lorenzo Valla did not doubt the Ciceronian authorship of the *Rhetorica ad Herennium*”. Etenim Marx (*Prolegomena* 64) et Fridericum Marx secutus Henricus Caplan (p. ix) opinati erant Laurentium Valla addubitasse, num *Rhetorica ad Herennium* Ciceroni esset adscribenda, quod idem nuper senserunt Anna Gambaiani (*La Politia Literaria di Angelo Decembrio: Libro I*, Diss. Bologna 1972, pp. 249sgg.) et Mariangela Regoliosi (Laurentii Valla *Antidotum in Facium*, Padova 1981, pp. xxx–xxxi), quippe qui anno millesimo quadringentesimo quadragésimo septimo p.Ch.r.n. ad p. 292, Libro III *Antidoti in Facium*, cap. 11, sect. 29, scripsisset: “numquam disceditis a libris Ciceronis *ad Herennium* scriptis, uix, ut ipse auctor fatetur, Cicerone dignis”. Quin etiam Marx suspicatus erat, de hac quaestione Laurentium quodam in opere nunc deperdito egisse, quod libello comprehensum esset, secundo post primum, quem Valla ipse memorasset, et qui *Rhetoricae ad Herennium* totus esset dedicatus. Cum enim Valla de priore libello mentionem fecisset (“in libello quem tibi ostendi, nondum edito, ubi parcius de loco quodam rhetoricae disputauit”), ad alterum quoque Marx (*Prolegomena* 63) scribit Laurentium uenisse libellum, quem insequentibus uerbis memorasset: “Alterum libellum quem per eosdem dies ostendi differs, ut est (es *vulgo*) incompositus. Graecos interponis, ad dialecticamque reuolueris”. His igitur uerbis nisus Marx opinionem suam totam confluit, nomine ‘libello’ non libros ad Facium significatos esse, sed aliud quoddam opus, quod totum ad *Rhetoricam ad Herennium* pertineret et quo Valla dubium suum expressisset, an *Rhetorica ad Herennium* Ciceroni tribuenda esset.

At Monfasani hanc opinionem refutauit atque contendit neque uocabulo ‘libello’ quicquam minoris momenti significatum esse, cum Regius ipse *Rhetoricam ad Herennium* ‘opusculum’ uocauerit, neque esse Laurenti scripta ‘praeter necessitatem multiplicanda’ (“to multiply texts needlessly”). Quod uero Valla scripserit “numquam disceditis a libris Ciceronis *ad Herennium* scriptis, vix, ut ipse auctor fatetur, Cicerone dignis”, id meminisse Laurentium uideri, quod ipse Cicero, *de orat.* 1,5, de *Libris Rhetoricis*, qui sunt *de inuentione*, scripserit et quo Mediae Aetatis docti nisi sint, ut *Rhetoricam Veterem* (Cic. *De inu.*) et *Rhetoricam Nouam* (libros *Ad Herennium*) distinguerent. Nullo enim loco *Rhetoricae ad C. Herennium* hanc tamquam censoriam notam reperiri, neque alio loco Ciceronem quam *de orat.* 1,5, tam male de superioribus suis scriptis iudicasse; hoc loco igitur Ciceronis *Rhetoricos libros*, qui sunt *De inuentione*, significatos, non *Rhetoricam ad C. Herennium*.

Plurimis autem Laurenti Vallae scriptis allatis, id Monfasani luce clarius ostendit, semper dum uixerit, Laurentium *Rhetoricam ad Herennium* Ciceroni adscripsisse³¹.

31 Item sensit J.C. Alessio, “An rhetorica falso sit inscripta ad Herennium”, p. 145–147, *Rhetoricam ad Herennium* Ciceroni a Valla semper adscriptam esse, sed ex iis, quae de hoc ipso opere Laurentius reprehendisset, quibus ne Marco quidem Tullio pepercisset, ea dubia nata esse, quibus uiri docti fulti alium atque Ciceronem auctorem inuenerint. Puteolani quoque reprehensiones eodem modo sollicitare potuisse (ad p. 149), qui *Rhetoricam ad Herennium* a Cicerone scriptam isdem prope uerbis quibus Laurentius usus esset “vix Cicerone dignis”, negare non dubitauit

Item Poggius Bracciolini Ciceronem et *Rhetoricam ad Herennium* aduersus Vallae reprehensionem defendit³². Puteolanum autem nihil aliud fecisse putamus nisi, quae in Cicerone uitia reprehensa essent, ea in Cornificium conuertisse. Quod duobus confirmatum esse credimus: (1) primum quod Puteolanus nimis diffidere consuevit, qui et Aristotelis Rhetoricam senserit non ab Aristotele, sed a quodam alio compositam esse, (2) dein quod non de iis Marci Fabii loci Puteolanus disputauit, ubi Cornificius cum *Rhetorica ad Herennium* comparatus est, sed id unum ille negauit *Rhetoricam ad Herennium* esse magni faciendam, quae ne ipso quidem Cornificio digna esset, qui in *Metalogico* esset memoratus. Quod, inquam, nihil ad rem³³.

Non inepte tamen de Valla mentionem factam sentimus, qui et argumento reprehensionis incertissimo, ut ostendimus, usus sit, scilicet *Rhetoricam ad Herennium* male scriptam esse, quod argumentum si a quouis alio quam a Valla adhibitum esset, flocci faciendum esse putarem, et certissime nihil ad rem pertinere putamus. Quod uero tanti uiri, Vallam dico, Poggium, Guarinum, numquam senserunt *Rhetoricam ad C. Herennium* a quo alio atque a Cicerone conscriptam esse, id est mentione dignum. Insinuari aliquod dubium coeptum esse Joannes Carolus Alessio (*An Rhetorica falso sit inscripta ad Herennium*”, p. 158), ut supra uidimus, suspicatus est, nec tamen, Cicerone excluso, alium quempiam auctorem excogitare facile fuisse. Quod non aliter equidem sentio, nempe, Cornificio excluso, alium quempiam auctorem excogitare facile non esse. Nec minore quidem ‘phantasia’, id est mentis celeritate, opus esse, ut *Rhetorica ad Herennium* usque ad extremos Imperi Romani annos latuisse credatur. Equidem malim arbitrari eam Marco Fabio (et postea Apuleio) ignotam non fuisse. Nec satis est.

Cum Cornificium auctorem fuisse, Quintiliani locis, ubi laudatur, consideratis, opinatus sum, non nomen tantum elegi, sed alium eiusdem nominis conatus sum inuenire, qui quam proxime ad auctorem nostrum accessisse uideretur. Inueni autem inter grammaticos Cornificium (Longum) quendam (*GRFFun.*, 474–479), etymologiae cultorem, cuius exstant fragmenta sedecim, quae sunt omnia *Ex etymis deorum* (cf. *Prisc. gramm.* II 257,6) ducta. Dignissimum autem est memoratu Cornificium hunc,

rit. Etiam ab altero Valla, Georgio scilicet, qui post Laurentium uixit, non inutile puto referre, *Rhetoricam ad Herennium* semper Marco Tullio adscriptam esse. Nam *Commentarium de Rhetorica ad C. Herennium*, quod Hieronymus Capidurus a se conscriptum simulauit, qui Georgii Valla discipulus fuisset et materiam totam ex Georgii ipsius scholis duxisset, re uera ab ipso Georgio esse confectum probauit M.T. Laneri 2019, cum Georgius Valla eos confutare conatus sit, qui illis temporibus negassent a Marco Tullio *Rhetoricam ad C. Herennium* conscriptam esse.

32 P. Bracciolini, *Epistolae*, ed. T. Tonelli, 3 Voll., Firenze 1832–1861, III, 98, et, quod ad Auctorem *Rhetoricae ad Herennium* attinet, cf. quae diligentissime I.C. Alessio, “*An rhetorica falso sit inscripta ad Herennium*”, p. 150, retulit.

33 Etiam Joannes Carolus Alessio, 2000: 145–147, scripsit Laurentium Valla semper *Rhetoricam ad C. Herennium* Ciceroni adscripsisse, nec probari posse Laurentium opusculo quodam perditio hac de re dubitasse, etiamsi fieri potuerit, ut quae Laurentius de Auctoris scribendi ratione male sensisset, ea ab iis adhiberentur, qui Ciceronem auctorem fuisse negassent.

etymologiarum cultorem et indagatorem, a Macrobio laudatum esse, cuius tanti est id referre fragmentum, in quo Cornificius ἐτυμολόγος cum Cicerone facere uidetur: *Macr. sat. 1,9,11 Cornificius etymorum libro tertio: "Cicero, inquit, non Ianum sed Eanum nominat ab eundo"* – *Cic. nat. deor. 2,67 principem in sacrificando Ianum esse uoluerunt, quod ab eundo nomen est ductum*. Quibus de rebus paginis egi nonnullis (G. Calboli: *Cornifici Rhetorica ad C. Herennium* 1993a, pp. 6–11), et omnia consideravi atque Graecorum nominum usum et annorum interpositam seriem ita explicavi, ut ad hanc conclusionem, omnibus diligenter consideratis, peruenire non dubitauerim (1993a: 9–11): Cornificium etymologiarum cultorem Auctorem ad Herennium esse potuisse, qui et grammaticae dare operam consueuerit et etymorum scientiam non parui fecisse *Rhetoricae ad Herennium* ipsius nonnullis in paginis (II 23,35; IV 21,29; IV 32,43, Calboli 1993a: 9–10), ostenderit. Ex omnibus autem, quos Cornificios nouerimus, etymorum illum cultorem quam quem maxime ad Cornificium adcommo-dari, cui *Rhetorica ad C. Herennium* possit adscribi. Ex illis autem paginis nihil profecto immutauerim, nisi duo, id est quadripertitam rationem non Stoicis tantum, sed etiam Peripateticis et Aristoteli in primis esse adscribendam, ut hodie W. Ax (1986) secutus credo, et per *definitionem*, quae et constitutio (στάσις) et constitutionis pars et figura (σχῆμα) fuerit et utroque in loco ab Auctore *ad Herennium* tractata sit, non rhetoricam tantum doctrinam cum grammatica esse coniunctam, sed iuris quoque prudentiam, cum isdem prope annis Iuris peritissimus Q. Mucius Scaeuola librum conscripserit Singularem Ὅρων. Qua de re equidem disputatione egi, quae inscribitur "Definitio and Etymology in Rhetoric and Law: from Roman Republic to the Middle Ages", 2010c. Locos igitur collegi, quibus etymologia cum grammatica, rhetorica, iuris prudentia, dialectica coniuncta est. Tot enim ad disciplinas etymologia pertinet, cum, quid principio per uocabula significatum sit, tot ad uiros doctos spectaret, et eo studio et arte tamquam pristina et uera significatio ita detegi uideretur, ut Cicero etymologiam ueriloquium appellauerit.

A iuris consultis igitur docui, a Catone Liciniano ad Modestinum, curatam esse etymologiam (qua de re cf. L. Ceci 1966=1892), neque definitionem neglectam, idque ea potissimum aetate accidisse, qua Q. Mucius, et Marcus Tullius et Terentius Varro et Auctor *ad Herennium* floruerint. Quod si grammaticam, quid essent nomina et uocabula explicantem, addideris, ut in *Rhetorica ad C. Herennium* reperimus (I 12,21; II 12,17; II 28,45; III 4,7; III 20,33, IV 33,45: quos crassioribus litteris depinxi locos, in iis de definitione uocabuli agitur), Cornificium grammaticum bene cum hac arte Rhetorica congruere facile concedas oportet, iis omnibus consideratis, quae mea disputatiuncula memorauit. **Quoniam autem a Cornificio seu grammatico seu quo alio argumentis tantum et opinionibus Rhetoricam ad C. Herennium conscriptam esse demonstratum est, rarius statui hoc me nomine usurum, saepius Auctorem ad C. Herennium tantum laudaturum me esse.** Quamquam equidem puto, quae Leonellus, Estensis marchio, et Angelus Decembrio *Politia Litteraria* in dubium redegerint, eorum utilitatibus, scholarium quasi quadam mercatura pro Ferrarensi Vniuersitate prouisa, et illiberalibus consiliis et machinationibus om-

nino libera non fuisse. Quod attentius inuestigatum a me memini oratione, quam in America Chicago in urbe Anglica lingua nonnullis abhinc annis pronuntiaui. Quae quo clarius explicentur, huius orationis nunc uerba referam necesse est (G. Calboli 2010a: 283–287):

«Leonello's arguments are the following:

Ang. Decembr. *Politia Litt.* 1. 10. 10–12 *nec rhetorica vetera a Tullio unquam memorantur nec nova quidem, ac prudenter, cum alia non prius edidisset. [...] Sed fac illa prius edidisse. Numquid ideo tam absurde, improbe, contumeliose Herennium ad tantum virum accessurum, seu quamtumuis familiarum, rogatumque arbitremur, praesertim aliis negociis amicorum impeditum, ut ipse testatur, qui pro familiaribus sedulo operam navaret, ac philosophiae potius studiis incubiturum, si quid ocii praestaretur, si a Tullio iandudum de rhetorica arte conscriptum extitisset? Vnde tantus furor, tanta postulantis immodestia? Quod si tale quicquam orare non debuit, multo minus exorare debuerat. 11. At videte, obsecro, ut alia fallacia aliam trudit. Fac Herennium petiisse: numquid subinde temeritati eius Ciceronem obsecuturum putemus et frustra geminum laborem assumpturum? Potuit sane amico desipienti Tullius sapienter respondisse: 'Quid tibi vis, homo? quid me vexas? quid obtundis? Iamdiu a me rhetorica scis edita. Ex iis sume, quae postulas!' [...] Sequitur vero: et eo studiosius hoc negotium suscepimus, quod te non sine causa uelle cognoscere rhetoricam intelligebamus [Rhet. Her. I 1,1]. Quam scilicet rhetoricam artem videtur prius non nisi per Graecorum nebulas cognovisse, aut, si ex aliis forte, non a Tullio adhuc praeceptore didicerat. 12. Haec, inquam, si pauca consideretis, nullo pacto Tullium vobis apparebit aliud in rhetoricis opus composuisse. Denique Tullium fac non illius voluntati, ut ipse inquit, sed importunitati morem gessisse et rhetorica tandem alia rescripsisse: Vnde tanta praesertim in oratore disertissimo taciturnitas, tanta de se neglegentia? Qui omnium suorum operum in prooemiis tam curiosas, cur ea scribat, reddere solet approbationes. Non aliqua saltem excusatiuncula assignanda fuit, quare, ad quid, in quo causarum genere priora conscripsisset? Quamobrem illud opus deterius, imperfectius, obscurius, incuriosius praemisisset? [...] cur Victorinus, ut asseritis, illa tempestate doctissimus, super eo commentarios annotauit, frustra laborem assumens, quandoquidem super novo opere multo commodius ac certius id munus obire potuisset?' Videbantur cuncti, quia vera diceret, sententiae principis assentiri.*

We all must agree that the arguments presented in this long passage are convincing and seem to be a product of a long discussion on the difference between *De inventione* and *Ad Herennium*, on the one hand, and, on the other, of a good knowledge of both works and, in particular, of the *Ad Herennium*. As for the first point, John Ward found ("The Medieval and Early Renaissance Study", p. 67) a commentary of *Ad Herennium* in a Ms Oxford, Corpus Christi College, 250, from the end of the twelfth century which "suggests that there was vigorous classroom discussion of some of the points of difference between the *Ad Herennium* and the *De inventione*". In a remote Italian manuscript (MS Vatican City, BAV, Barb. Lat. 20–I fol. 46v, ca. A.D. 1200) a few paragraphs survive from the introduction to such a commentary. As for the use of the *Ad Herennium* we know that Giovanni di Bonandrea lectured in the Bolognese University upon the *Rhetorica ad Herennium* almost continuously from 1303 until his death in 1321. At the same time he gave a public instruction in *ars dictaminis* in a Bologna's square confirming in this way the link which existed between the *Ad Herennium* and the *dictamen*. Cf. J.R. Banker ("Giovanni di Bonandrea and Civic Values", p. 10). His pupil, Bartholinus filius Benincaxe de Canullo, was salaried at a rate of thirty pounds a year to permit him to lecture

and study the art of rhetoric; he lectured *Tullium novum*, i. e. the *Ad Herennium*, “twice a year, beginning after the feast of Luke and ending ‘in paschale Resurrectionis domini’, and, after this feast, to begin again and to finish the text before the feast of St. Michael” (J. Ward, *Ciceronian Rhetoric*, p. 70).

In both cases, the refuse of Cicero’s authorship and the suggestion that the right author of *Ad Herennium* was Cornificius, played a consistent role because of the great development of this work at the University. However there was not only a teaching but also the production of commentaries from the end of eleventh century, i. e. from Menegaldus (Xlex. cent.). This aspect has been studied in depth by John Ward (1972; 1978; 1995a; 2006). We can therefore understand why about in this time also these aspects of the *Ad Herennium* have been investigated with great attention and brought to a solution. As I wrote in another paper, Cicero’s authorship of the *Rhetorica ad Herennium* has been imposed 395 by Saint Jerome (in his *in Abd.* PL 25, 1098) and remained unchallenged until this time, namely the Renaissance, as a consequence of the great authority of Saint Jerome. The abbey’s and cathedral’s school was the first way of transmission of this work and was of course an improper place and time to discuss this subject and to refute Saint Jerome’s authority. It had to wait for the more free time of the Renaissance.

On the other hand distrusting of the old tradition in the field of authorship happened just in this time and concerned not only the *Ad Herennium* but also Aristotle’s *Rhetoric* as we saw in the page by Puteolanus and, as for the *Ad Herennium*, some years before in the *Politia Litteraria* by Angelo Decembrio (dialog held after 1438 and the publication in Sabbadini’s opinion 1462, or 1463 as Witten (p. 10) means). But a question arises: was the doubt about Cicero’s authorship of the *Rhetorica ad Herennium* an idea either of Angelo Decembrio or of the Ferrarese group of Humanists around Leonello d’Este? Because, as Norbert Witten (2002: 31f.) pointed out, a group of Humanists worked together with Leonello: Guarino da Verona, Ugucione Contrari, Feltrino Boiardo, Alberto Costabili, Giovanni Gualengo, and later Alberto da Carpi, Carlo Nuvolone, Tito Strozzi, Nicolò Strozzi, Tomaso Reatino: “Alle sind erfahrene Humanisten”. In particular Guarino da Verona was professor at the University of Ferrara and wrote a commentary to *Ad Herennium*. This commentary has been recently studied by John Ward (1995a)³⁴. I don’t want to repeat the arguments developed by John Ward. As for Ciceronian authorship of the *Ad Herennium* Guarino didn’t express any doubt that it was written by Cicero. However in one point (*Rhet. Her.* II 30,47 *Conclusiones, quae apud Graecos epilogi nominantur*) both Guarinos, the father and his youngest son Battista, who was professor in Bologna and succeeded his father at the University of Ferrara, thought that the alleged passage was not produced by Cicero and entered into the text from a *glossa* written in the margin (see J. Ward, “The Lectures of Guarino”, pp. 114f.):

Rhet. Her. II 30,47 *Conclusiones, quae apud Graecos epilogi nominantur, tripartitae sunt. Nam constant ex enumeratione, amplificatione, et commiseratione. Quattuor locis uti possumus conclusionibus.*

Commentary Ms Fr (Version III) f. 76r–v: In *quattuor locis*: “quidam dubitant utrum iste

34 John defended Guarino against the criticism by Antony Grafton and Lisa Jardine (1986) and I agree with him, though I can understand that someone, as Grafton and Jardine, admires the Middle Ages and the Logic of this time. *Quod autem ad dialecticam et rhetoricam spectat, cf. nunc etiam* J. Ward 2019: 255–257.

textus sit Ciceronis et videtur quod non. Nam deviare videtur a proposito. Nihil est enim contrarius neque alienius quam quod conclusio cadat in exordio, ideo putatur hunc textum fuisse in antiqui codicis margine et librariorum inscitia depravatam atque Cice[fol. 76v]ronis textui insertum”.

Although Guarino didn't refuse Cicero's authorship of the whole *Ad Herennium* he was capable of such a fine criticism³⁵ which is for the Middle Ages unthinkable. However this doesn't mean that Guarino is right. As Lucia Calboli Montefusco (*Exordium Narratio Epilogus*, pp. 85–87) demonstrated, the *epilogus* was not employed only at the end of the speech but everywhere a kind of recapitulation was necessary. This doctrine is present already in the *Rhetorica ad Alexandrum* (1433b 29–1434b 6) and has been developed in particular by Apsines, *RhG* I 298. 9ff. Spengel-Hammer. But such a specialisation of the doctrine was too difficult for this time.

I haven't time to discuss the resistance in changing the authorship of the *Rhetorica ad Herennium* by the Bolognese milieu. For now, I don't find a better explanation than the Academic or Ciceronian prestige. This is a reason similar to that why Guarino continued to ascribe the *Ad Herennium* to Cicero. As we saw, the *Ad Herennium* was at the University of Bologna so important that some professors employed in teaching only this text and this work was connected with the most prestigious activity of this University, the *dictamen*. As I wrote myself (2003a), using a sentence by John Ward, “The knowledge of the *Rhetorica ad Herennium* was the «prerequisite for training in *dictamen*»”.

Nevertheless I suppose that this question is more complicated than it appears at a first glance. We have some data at our disposal: Leonello collected a group of Humanists, and had the aim to develop the *studio* in Ferrara, Cicero's *Ad Herennium* was a classical text of Bologna University. Attacking Cicero's authorship of the *Ad Herennium* Leonello discredited a fundamental text of Bologna University without attacking directly Bologna. Was this a kind of indirect rivalry? But why Guarino didn't accept and use such a criticism? An answer can be found in the fact that his son and successor Battista was previously professor at the University of Bologna which had to be handled carefully».

Postquam uero equidem iuuenili quodam ductus ardore, a Cornificio contenderam *Rhetoricam ad C. Herennium* esse conscriptam, hac de re nonnulli docti attentius egerunt, qui praecipue *Rhetoricae ad Herennium* seu textui constituendo seu recentiorem in linguam uertendo operam dederunt, Achard, Cancelli, Nüßlein, Müller, Núñez³⁶. Quorum nemo Cornificium recepit, quamquam nemo nouis argumentis usus est ullis. Neque Achard (p. XX), neque Cancelli (p. 55) piguit temporum argumento uti, qui scripserint Cornificium post Ciceronem floruisse, *Rhetoricam ad Herennium* ante Ciceronis rhetoricos libros compositam esse. Ne uerbum quidem additum est, fieri potuisse, ut Marci Tulli libri rhetorici ante *Rhetoricam ad C. Herennium* in lucem ederentur, cum id negari possit libros illos rhetoricos a Marco Fabio (*inst.* 3,1,20) tamquam metam, ad quam uel post quam rhetorica Romana se uerteret, positos esse (*post quem* [scilicet Ciceronem, puerum aut adulescentulum, Rhetoricorum

35 As pointed out by G.C. Alessio 2000: 147.

36 Núñez nouum textum non proposuit, sed in Hispanicam linguam diligenter conuertit.

De inuentione librorum auctorem] *tacere modestissimum foret, nisi et rhetoricos suos ipse adulescenti sibi elapsos diceret*). Atqui Andreas Weidner (p. XIII) abhinc multos annos rem explicauerat et recentius G. Kennedy (*The Art of Rhetoric* 112 Anm. 11), hoc ipso Marci Fabi de loco scripserat: “The evidence against Cornificius is chiefly the chronological order of Quintilian 3.1.19–21: Cato, Antonius, Cicero, Cornificius, Stertinus, Gallio. But Quintilian is here thinking of Cicero as the author of *De inuentione*, and *Ad Herennium* is certainly later than that”.³⁷ Nec quemquam adhuc inueni, qui hoc argumentum refutauerit (nempe, nisi quis Libros Ciceronis Rhetoricos post octuagesimum septimum annum posuerit, quod mihi prorsus improbabile uidetur, at cf. Achard, VI–XIII). Sed nonnulla concessit Achard, qui, Cornificium et *Rhetoricam ad Herennium* quodam modo coniunxerit et ita (ad p. XX) concluderit: “Il est donc hautement probable que l’on doit refuser la paternité de l’œuvre à Cornificius. Mais on doit admettre que, tout au début de l’Empire, un Cornificius a écrit un ouvrage sur les figures et qu’il a eu sous les yeux sinon la Rhétorique à Herennius – puisque nous n’avons pas de témoignage de la résurgence de ce manuel à la fin de la République [quae coniungenda sunt, cum quaerendum mihi esse uideatur, utrum difficilior sit (1) Cornificium auctorem recipere an (2) credere *Rhetoricam ad Herennium* usque ad extremos Imperii Romani annos latuisse et tum rursus in lucem esse reuocatam] – du moins une œuvre similaire, voire des notes de cours identiques à celles qu’a utilisées notre auteur”.

Philippus autem Cancelli (pp. 58–64) ex meis argumentis (“Cornificiana 2” 12–19) unum attentius considerauit:

Quint. *inst.* 9,3,68–71 *Cui* [sc. paronomasiae] *confinis est quae ἀντανάκλασις dicitur, eiusdem uerbi contraria significatio. [...] Aliter quoque uoces aut eaedem aut diuersa in significatione ponuntur aut productione tantum uel correptione mutatae: quod etiam in iocis frigidum equidem tradi inter praecepta miror [...]. «Amari iucundum est, si curetur ne quid insit amari», «Auium dulcedo <ad> auium ducit», et apud Ouidium ludentem: «Cur ego non dicam, Furia, te furiam?». Cornificius hanc traductionem uocat, uidelicet alterius intellectus ad alterum.*

Rhet. Her. IV 14,20–21 *Traductio est, quae facit, uti cum idem uerbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinniores orationem reddat. [...] Ex eodem genere est exornationis, cum idem uerbum ponitur modo in hac, modo in altera re, hoc modo: “Cur eam rem tam studiose curas, quae tibi multas dabit curas?” Item: “Nam amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari”. IV 21,29 Adnominatio est [...]: “Hinc auium dulcedo ducit ad auium”.*

Hoc loco Quintilianus exemplum alterum ex *traductione* sumpsit, adduxit alterum ex *adnominatio* (quae Graece uocatur παρανομοασία), sed ante explicauit uoces aut easdem esse, aut productione uel correptione tantum immutatas et diuersa significatione praeditas, dein exempla adduxit tria, duo, quae etiam in *Rhetorica ad*

³⁷ Quae G. Kennedy extrema in nota memorauit, ea ibi posita multos uidelicet effugerunt, non aliter atque ea, quae ego quidem ipse (“Cornificiana 2”, p. 32) eadem de re adnotaueram.

Herennium occurrunt, ex Ouidio tertium – libere Marcus Fabius se gessit. Tum addidit hanc figuram a Cornificio *traductionem* uocatam. In *Rhetorica ad C. Herennium* et figurae nomen, *traductionem*, et duo prima inueneris exempla, alterum ex eodem genere exornationis, alterum ex adnominatione (παρονομασία) de qua Marcus Fabius eo ipso loco agit, paulo post acturus erat Auctor *ad C. Herennium*. Nusquam alibi hoc σχῆμα, id est *traductionem*, inueneris, quae sola in *Rhet. Her.* et a Cornificio, si Marcum Fabium audimus, adhibita est (Volkman, *Rhetorik*² 480; Lausberg, *Handbuch* 328; 333). Huc adde id, quod Quintilianus adiunxit, scilicet confinem *adnominationi* (παρονομασία) ἀντανάκλασιν esse, cum uidelicet figuras quodammodo Marcus Fabius recenseret, quae ex eodem genere atque *adnominatio* (qua de ageret) essent. Cancelli multas artes rhetoricas idcirco compulsauit, ut probaret de duabus figuris Quintilianum egisse, quae ἀντανάκλασις et πλοκή fuerint³⁸. Sic igitur Cancelli conclusit: “Non è azzardato molto concludere che Quintiliano, dato che l’unica volta che chiarisce il termine che cita non corrisponde per discrepanze e incongruenze con la *Rhet. Her.*, abbia avuto davanti uno scrittore, Cornificio appunto, che aveva, traendo il nome *traductio* dall’opera *ad Herennium* o dalla stessa dottrina di questa, fuso la figura con la paronomasia, caratterizzandola alquanto diversamente”. Quae cum male disputata, tum pessime conclusa sunt: falsum est enim Quintiliani *traductionem* non eandem esse, quam quae in *Rhetorica ad Herennium* reperiatur: duas species *traductionis* Marcus Fabius memorauit, quae aut ex isdem uocibus constaret – quae ipsissima et definitione et exemplo in *Rhetorica ad Herennium* occurrit («Amari iucundum est, si curetur ne quid insit amari») – aut quae ex uocibus efficeretur, quae *aut productione tantum* essent *uel correptione mutatae*, cuius exemplum, uocibus productione eiusdem litterae immutatis, ipse attulit et idem in *Rhetorica ad Herennium* (IV 21,29), cum de *adnominatione* ageretur, deprehenditur. Postea scripsit haec a Cornificio, appellata esse *traductionem*. Omnia igitur, quae Marcus Fabius cum de *adnominatione* ageret, attulit, etiam in *Rhetorica ad Herennium* reperiuntur, nisi quod unum exemplum de adnominatione paulo post adductum est, sed cum de eadem materia ac Quintilianus, Auctor *ad Herennium*, nempe de *adnominatione*, ageret. («*Āuium dulcedo <ad> āuium ducit*»). Vna igitur occurrit, eaque perparua immutatio, quae ad locum tantum, non ad materiam pertinet, quaeque aut Quintiliano aut Cornificio tribuenda esse uideatur. Contendit igitur Cancelli haec esse a Cornificio immutata, cum probabilius sit a Quintiliano, qui eodem loco de adnominatione, totius figurae tamquam capite, ageret, hoc additum esse, quo non res tota corrigeretur, sed largiore tantillum ratione comprehenderetur, nec tamen ex *adnominatione* excederet. Quod uero a nemine alio praeter auctorem *ad Herennium* et Cornificium hanc figuram, *traductionem* dico, uel tractatam uel memoratam esse uidemus, et eam isdem confirmatam exemplis, hoc est singulare et totius rei tamquam funda-

38 Ἀντανάκλασιν Quintilianus, id est ut ipse scripsit, contrariam significationem, addidit, sed non tractauit (*Aliter quoque* eqs.), de ea, quae πλοκή appellatur, ne mentionem quidem fecit. Cancelli totus aberrauit.

mentum habendum. Quidni sit consentaneum, Auctorem *ad Herennium* Cornificium ipsum esse? Quodsi quis alter esset ab illo, cur Quintilianus cum et Auctorem et Cornificium eādem doctrinā usos isdemque exemplis explicatā uidisset, singularem rem tacuisset? Vna uix probabilis causa manet: *Rhetoricam ad Herennium* usque ad Romanianum ex Tagaste latuisse: alterum igitur ex duobus sumamus oportet, aut *Rhetoricam ad Herennium* a Romano repertam, neque ante Romanianum cuiquam notam fuisse aut Quintiliano notam illam fuisse, qui Cornifici nomine eam laudare consuisset.

Hunc locum dein et F.L. Müller considerauit (pp. 8sq.), Quintilianum et *Rhetoricam ad Herennium* comparauit, Germanicam in linguam uertit, et, nulla argumentatione habita, nisi Cornificium de figuris tantum scripsisse, conclusit *Rhetoricam ad C. Herennium* a Quintiliano laudatam non esse. Cui adstipulatus est T. Nüßlein (p. 328): nam nono tantum institutionis libro Cornifici mentionem factam, qui totus sit de figuris. At equidem respondero, cum de inuentione ageret, non defuisse Marco Fabio ipsius Ciceronis exemplar, Libros nempe Rhetoricos, qui sunt de inuentione et reliquos, quos Cicero de ratione dicendi conscripsit (quibus saepius Marcum Fabium uti non est pertaesum, cf. Quintiliani editiones, Winterbottom, M., *Index Nominum et Locorum*, p. 767; Cousin, VII, p. 258f.). Nec spernenda ea explicatio est, quam G. Ammon (“Zum Auctor *ad Herennium*” 411) protulit, id est duo opera a Cornificio esse confecta, unum *Rhetoricam ad Herennium* usque ad IV 12,18, alterum de figuris a IV 12,18 ad finem, quae sint in id opus conflata, quae hodie *Rhetorica ad C. Herennium* uocatur, nisi quod equidem dictum illud Occami facile numquam spreuerim: *entia non sunt praeter necessitatem multiplicanda*³⁹.

Reliquos locos praetereo, ubi Cornificius memoratus est, cum nihil iis, quae “Cornificiana 2” disputaui, repugnatum aut obiectum sit, sed non infitior haud multum per Cornificium ad ea, quae iam nota fuerint, additum esse, nisi etymologiam cum figuris coniunctam esse et Cornificium siue Auctor fuerit *Rhetoricae ad C. Herennium* siue non fuerit, figuris certissime operam impigre dedisse; quod etymis etiam incubuerit, nouam demonstratur in eam illum ingressum esse uiam, qua non

39 Quod non satis meditato est, qui omnium pessime his de rebus egit Lois C. Pérez-Castro, “La llamada *Rhetorica ad Herennium* y sus autores”, *Emerita* 67, 1999, 251–262. Pérez-Castro *Rhetoricam ad C. Herennium* a tribus auctoribus compositam esse contendit, neque animaduertit non aliter omnibus in libris, I, II, III, IV, exempla esse tractata, quae ex aliis uenissent auctoribus, id est ea conditione adsumpta, si modo uitiosa esset materia (cf. *Rhet. Her.* IV 12,18 *nam hic nihil prohibet in uitiiis alienis exemplis uti* e cf. F. Marx, *Prolegomena* 132; Calboli, “Further Comments” 123sg.), ne loquar de aliis simillimis locis. Nec Fridericum Marx, *Prolegomena* 132, nec G. Calboli, “Cornificiana 2” 2–57, aut “Further Comments” 123sq., neque alium quemquam a Pérez illo Castro memoratos esse uidemus. At ignotum ignorandumque istum Pérez-Castro haec tam inepta scripsisse non miror, sed accepta esse a Francisco Roderigo Adrados miror, qui ephemeridem *Emeritam* illis annis moderaretur. Vt ad nostra redeamus, quod *Rhet. Her.* in sex libros diuisa est, potuit cum explicatione, quam Ammon defendit, coniungi, sed equidem cum Marx potius fecerim et librum IV in tres libros ideo partitum dixerim, quod nimis longus fuit.

ad inuenienda modo argumenta maximum studium adhiberetur, sed ad ornandam etiam orationem et gratiorem auditui faciendam. Fuerit hoc sane Rhodium, sed, quod in *Rhetorica* reperias ad C. Herennium et apud Cornificium, fuit profecto Romanum.

Quod Müller suspicatus est, Auctorem ad Herennium Cornificium quendam fuisse, qui anno prope centesimo uigesimo tertio natus Sullanis proscriptionibus mortem obisset, potest illud quidem ad ueritatem accedere, sed quasi quaedam suspicio manet (*RE* IV 1, Sp. 1622, Z. 24sq.). Neque quae addidit, facile sim secutus: “die Zuweisung der Schrift an Cornificius im Grunde keinen Gewinn bedeutete” (Müller, p. 12), quodsi Cornificium sustuleris, opinionem sustuleris *Rhetoricam ad C. Herennium* ante Romanianum tantillum innotuisse, ne de Cornificio loquar etymologiarum scriptore⁴⁰.

At satis apparet Auctorem ad Herennium, ut ipse scripsit, cum grammaticae et philosophiae et memoriae et administrandae rei publicae operam dare uoluisse, tum negotiis familiaribus impeditum uix satis otii studio suppeditare potuisse. Quae, cum aliquatum pugnantia esse appareat, Achard suspicari non piguit (pp. XXX–XXXIII), senatorem quendam illum fuisse, qui popularium partium esset et una cum P. Sulpicio facere consuesset, qui ne paedagogi quidem nomen Sulpici liberorum, Gorgiam, ignoraret (quod ex iis euinci potest, quae ad *Rhet. Her.* IV 52,65, legantur, ubi uirum quendam magnae auctoritatis et animi plenum sua ipsa in domo obtruncatum uideamus: utrum autem re uera P. Sulpicio adsimulari possit et debeat necne, disputatum est, cf. quae *Commentario* libri IV Adn. 291 collegi).

Erat igitur Auctor ad Herennium – non alio nomine illum postea uocaturus sum, nec Cornificium appellaturus, qui ex opinione, quamquam certissima, pendeat – negotiis familiaribus adstrictus et philosophiae studio otium suum impertire malle se scripsit: *Rhet. Her.* I 1,1 *Etsi negotiis familiaribus impediti, uix satis otium studio suppeditare possumus et id ipsum, quod datur otii, libentius in philosophia consumere consueuimus.* IV 56,69 *Nam et simul libenter exerceamur propter amicitiam, cuius initium cognatio facit* [uidetur igitur Auctor cum C. Herennio adfinitate quadam coniunctus fuisse et idcirco Herennia gente plus quam familiariter usus esse, cf. *Plut. Mar.* 5,3; G. Calboli, “Cornificiana 2” 76sg.], *cetera philosophiae ratio confirmabit.* In II 23,35

40 Quod idem possumus de iis dicere, quae A. Corbeill, “Rhetorical Education in Cicero’s Youth”, p. 33, and. 37, defendit: “In any event, so little is known of Cornificius that the attribution, even if sure, would not affect my subsequent remarks”. Quantum sentio, non est parui illud quidem momenti, utrum Quintilianus hoc opus cognouerit necne, tametsi consentaneum est, *Institutione Oratoria* Marci Fabii confecta, et publici iuris facta, *Rhetoricam ad Herennium* hoc nouo opere quodam modo substitutam etiam in scholis esse. Vsque ad IV saeculum, si non nihil latuerit, et neglectam esse, nihil mirum, cum hac aetate ianuam quandam apertam esse appareat, qua ex antiquis temporibus in mediam Aetatem immitteretur. Immissa sunt tunc et seruata ex antiquis scriptoribus, quae usque ad nos peruenerunt, cum duae scripturae seu litterarum formae tunc primum adhiberi sint coeptae, uncialis, quam appellant, et carolina, et uncialis saeculo iam quarto (IV) in chartis compareat, cuius sunt haud minus trecenti nonaginta (qui ad nos peruenerint) conscripti libri, Ludouicum Traube si audimus (cf. G. Cencetti, *Storia della scrittura latina* 65sq.).

inepte in philosophiam ignotum quendam inuictum esse scribit Auctor: *Vana ratio est, quae ex falsa causa constat hoc modo: [...] "Philosophia uitanda est, adfert enim socordiam atque desidiam". Nam hae rationes nisi falsae essent, expositiones quoque earum ueras esse confiteremur.*

Quocirca ex philosophis et rhetoribus inter se disputantibus, utris essent pueri et adulescentuli docendi (qua de re cf. K. Barwick, "Die Vorrede" 33; G. Calboli, "Cornificiana 2" 100–102), Auctor uidetur philosophos potius secutus esse – non aliter igitur se gessisse atque orator ille praeclarus M. Antonius se gessisset (Calboli, "L'oratore M. Antonio" 145–149). Quod M. Tullius ipse facere non dubitauit, cum rhetorum ampullas reliquit, ut se totum philosophiae dicaret, qui ex rhetorum modis, cum de inuentione scriberet, profectus esset. Quae omnia Cicero de M. Antonio eiusque magistro Charmada scripsit (*de orat.* 1,93sq.), ea *Rhetoricā ad Herennium* confirmantur (cf. K. Barwick, "Das rednerische Bildungsideal" 32sq.).

Tum Auctor *ad Herennium* pollicitus est *Artem Grammaticam* se esse compositurum: IV 12,17 *Latinitas est, quae sermonem purum conseruat, ab omni uitio remotum. Vitia in sermone, quo minus is Latinus sit, duo possunt esse: soloecismus et barbarismus. Soloecismus est, cum uerbis pluribus consequens uerbum superius non adcommodatur. Barbarismus est, cum uerbis aliquid uitiose efferatur. Haec qua ratione uitare possumus, in arte grmmatica dilucide dicemus.* Hanc artem grammaticam ex Stoicorum disciplina futuram fuisse K. Barwick (*Remmius Palaemon* 94–111 et "Probleme" 97–111) probare conatus est, qui non aliam quam Stoicam et Pergamenam grammaticam Auctorem nosse contenderit. Cui cum repugnarem, Alexandrinam quoque et Peripateticam grammaticam Auctori notam esse nonnullis argumentis defendi et multa collegi, quae etiam ad eius linguam cognoscendam haud parum conferrent (Calboli, *Studi Grammaticali* 142–206). Quae quoniam multos abhinc annos disputaui, tum duobus tribus his annis totam rem iterum inuestigandam suscepi et totam Auctoris *ad C. Herennium* grammaticam Alexandrinam fuisse demonstraui atque ex Aristarchi et Theophrasti spatiis, seu directe ab Auctore ipso seu per Rhodiam quandam artem, sumptam esse probaui (Calboli 2013). Cumque eo certissimo argumento usus essem, quod ex distinctione nominis (ὀνόματος) et uocabuli (προσηγορίας) constaret atque Stephanus Matthaios (1999: 225sq.; Id., 2002: 192; 207sq.) multa doctrina multoque mentis acumine luce clarius probasset, duabus rationibus partes orationis explicatas esse, id est ὄνομα ("propriū personarum nomen") et προσηγορίαν ("rerum nomen") ita ab Aristarcho et Alexandrinis grammaticis distinctas esse, ut uno tamen genere containerentur, in duo contra genera a Stoicis et Pergamenis grammaticis partirentur, ego cum Alexandrinis grammaticis Auctorem *ad Herennium* fecisse demonstraui, qui nomen et uocabulum distincta esse nosset, sed sine ulla partitione, quippe quae ex uno eodemque genere constarent, adhibere consuisset. Quam doctrinam non ab Auctore tantum *ad C. Herennium* adsumptam esse ostendi, sed a C. Caesare quoque et Remmio Palaemone, C. Caesarem autem cum Auctore *ad Herennium* ideo coniunctum esse, quod ambo analogiam (rationem uocat eam Varro, *ling.* 10,54, cf. *Th.L.L.* XI,2, 165,41–68) secuti sint.

Mirum igitur in modum omnia probavi conuenire et concinere, et orationis partium et analogiae doctrinam et rerum ciuilium administrandi rationem, quam popularem uocamus, prope easdem fuisse atque C. Caesarem, C. Mari quasi heredem, et C. Mari fautorem Auctorem *ad Herennium* similiter se gessisse. Neque eam quadripartitam rationem, quae ex *adiectio*, *detractio*, *immutatio* et *transmutatione* constaret et ab Auctore *ad Herennium* in figurarum doctrina adhibita esset,⁴¹ a Stoicis tantum prolatam esse uidimus, sed iam ab Aristotele introductam esse, Wolfram Ax (“*Quadripartita Ratio*” 203–211) rem totam explicante, animaduertimus.

Sed alia se fortasse aliisque de rebus scripturum Auctor *ad Herennium*, III 2,3, profitetur: *si quando de re militari aut de administratione rei p. scribere uelimus*. His uerbis nisus Achard (p. XXXII adn. 161) suspicatus est Auctorem *ad Herennium* senatorem quendam fuisse, qui cum P. Sulpicio et C. Mario facere solitus esset, cuiusque nomen ita sonasset, nempe Hirtuleius, quod etiam Marcus Tullius legi posset (est enim *Rhetorica ad C. Herennium* Marco Tullio, ut uidimus, adscripta). Quas equidem uerborum praestigias, ut ita dicam, haud facile probauerim, nisi quod, si Auctor in Senatum accessit, probabilius concesserim eum Sullae proscriptiones efugere non potuisse. Nec multum abest, quod Müller quoque suspicatus est, scilicet Cornificium, qui anno centesimo uigesimo tertio (123) natus esset, e Sullae proscriptionibus non euasisse. Sed non equidem dixerim necesse prorsus fuisse, ut Auctor Sullae proscriptionibus tolleretur, cum fieri potuisse mihi quidem uideatur, ut idem Cornificius esset, qui Milonem in Senatu accusauit et nobilium factioni aduersarius illa quoque occasione exstitit (Ascon. *Mil.* 32, p. 36,17–27 Clark, cf. J.-M. David, *Le patronat judiciaire* 893sq.; A. Balbo, *I frammenti degli oratori* 85sq.), et etymis deorum tractandis incubuit.

Hoc uero maximi est, iterum dicam, momenti, *Rhetoricam ad C. Herennium* Quintiliano ignotam non fuisse, quod cum ex Marci Fabi locis apparet, quos collegi (G. Calboli, “*Cornificiana 2*” 2–57), quosque paulo supra memorauimus, tum etiam ex insequenti loco manifestum est, ubi Quintilianus, *inst.* 9,3,31, isdem uerbis usus est, ordine tantum duorum extremorum ita immutato, ut *postulant ignosci* in *ignosci postulant* immutaretur, si hoc non est traditioni adscribendum:

Rhet. Her. IV 14,20 *Qui sunt, qui foedera saepe ruperunt? Kartaginienses. Qui sunt, qui crudelissime bellum gesserunt? Kartaginienses. Qui sunt, qui Italiam deformauerunt? Kartaginienses. Qui sunt, qui sibi postulant ignosci? Kartaginienses.*

Quint. inst. 9,3,31 *Qui sunt, qui foedera saepe ruperunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui crudelissime bellum gesserunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui Italiam deformarunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui sibi ignosci postulant? Carthaginienses.*

41 Vt, e.g., cum de *adnominatione* Auctor ageret (IV 21,29, cf. G. Calboli, *Studi grammaticali*, pp. 157–169).

Textus tam clare loquuntur, ut nullo egeant interprete, si modo id oblitus non sis, Auctorem *ad Herennium* exempla sua sibi creanda esse contendisse⁴². Vt *Rhetoricam ad C. Herennium* Quintiliano ignotam fuisse credas, id esse credendum sentio, Auctorem, ut Marx defenderit, esse mentitum. Quod cum incredibile esse uideatur, tum id omnia uitiat, quae sint antiqui scriptores qualibet de re testati, quibus numquam amplius fides haberi possit (qua de re cf. quae iam G. Calboli, “Cornificiana 2”, 29, scripsi)⁴³. Quod uero ad exempla quarti libri et totius operis spectat, cf. quae in *Introduzione* scripsi Editionis, quam 1993 confeci (1993a: 46–53). Sed rursus hac ipsa de re tamquam noua est mihi habenda disputatio, cum Antonium Corbeill pudicum non sit aliam mendis et prope incredibili inscitia – dolet dicere – uitiatam explicationem proferre (cf. quae postea ad pp. 50sq. addidi).

Deinde de Cornificio libellum conscripsit anno 2010 Thomasus Adamik: is de entymemate (id est, de contrario) egit (quae figura uel exornatio in *Rhetorica ad Herennium* descripta et explicata est), ita autem totam rem conclusit: “Diese Feststellung von Quintilian [inst. 5,10,2] ist von zwei Gesichtspunkten aus wichtig. Erstens hat unser Verfasser auch die *Enthymeme*, d.h. den rhetorischen Syllogismus in die Wortfiguren eingeordnet. Zweitens nannte man seit der Renaissance den Verfasser der *Rhetorik an Herennius* Cornificius aufgrund Quintilians Erwähnungen. Die Logik der Identifizierung ist die folgende: Quintilian zitiert mehrere Stellen und Termini von einem Cornificius, und diese Stellen und Termini sind in der *Rhetorik an Herennius* zu finden; daraus kann man folgern, dass Cornificius diese Rhetorik geschrieben hat. Deshalb möchte ich auch (1998: 279–285) Cornificius für den Verfasser der *Rhetorica ad Herennium* halten” (Adamik 2010: 519).

Duobus autem de causis, quae uir ille doctus Adamik, *Rhetoricae ad Herennium* inuestigator optimus, defendit, ea neglegi, mea quidem sententia, non possunt: (1) primum, quod rem esse non argumentis tantum, sed tamquam rebus ipsis probatam, silentio iam praeteriri non potest, (2) deinde, quod nouā quādam figurarum disciplinā, quae sit hoc opere prolata, id est certissime significatum, non rem modo argumentis et modis fuisse probandam, quibus *inuentio* contineretur, sed exornationibus quoque orationem fuisse gratiorem et meliorem faciendam, cuius dicendi rationis Marcus Tullius singulare et unicum, prope dicam, exemplum exstiterit. Sed ornandae orationis ratio et uia *Rhetoricā ad C. Herennium* demonstrata est, neque ab antiquis modo scriptoribus, sed per *dictamen* Mediae quoque Aetatis a *dictatoribus*, qui *Rhetoricā ad Herennium* potissimum uti consuissent, certis probatisque modis inuestigata et confirmata est. Non sunt igitur Cornificius et etymologia et exornatio-

42 *Rhet. Her.* IV 1,1. Quod ad exempla libri IV spectat cf. ea, quae in ‘Introduzione’ editionis meae 1993: 46–53, collegi, et quae postea ad pp. 50; 58–62 dixero.

43 Quae in apparatu, quem uocant, criticum de hoc loco scripta sunt, ea nunc repetere in animo est, ne lector ad apparatus ire cogatur: “Idem exemplum duxisse Quintilianum ex Cornifici libro de figuris scribit Marx, ad p.309. Cf. etiam G. Calboli, “Cornificiana 2”, p. 29, qui defendit *Rhetorica ad Herennium*, Cornifici opere, usum esse Quintilianum. Non potest igitur Quintiliani locus etiam in *Rhetoricae* textu constituendo neglegi”.

nes dicendi tam parui momenti ducenda, ut non satis consideretur, haec omnia esse coniuncta, et ubi Cornificius fuerit, illic neque σχήματα, neque ἐτυμολογίαν posse deesse, quorum in *Rhetoricā ad C. Herennium* et messem copiosissimam et uestigia inuenias haud leuiter impressa.

5. Vtrius partis, popularium an nobilem, Auctor *ad Herennium* fautor fuisse uideatur.

De hac re praeter alios egerunt: F. Marx, *Prolegomena* 141–153; Calboli 1963–1964: 57–108; 1972: 150–173; 2005a; 2009a; von Ungern-Sternberg 1973; Kaimio 1979: 199; Achard 1989: XXVIII–XXXII; Gruen 1990; J.-M. David 1979; 1992; Kaster 1995; Nüßlein 1994: 330.

Vtrius partis, popularium an nobilem Auctor *ad Herennium* fautor fuerit, inquire si uelis, sunt prius quaestiones duae attentius considerandae, id est, primum (1) num haec Auctor satis curauerit, dein (2) utri parti, ex duabus, quae illis temporibus Romae exstiterint et de admistranda re publica contenderint, Auctor *ad Herennium* potius fauisse uideatur, utrum popularium an optimatum⁴⁴. Equidem nonnullis disputationibus contendi Auctorem *ad C. Herennium* popularium parti fauisse, cum sex locis niterer, dum uno tantum cum nobilibus facere uidetur, IV 34,45, uel, quo uerius dicam cum *optimatibus*, qui tamen nullo modo, qui fuerint, explicatur: popularium contra parti cum fauere uideretur, haud pauca Auctor addidit, quibus non modo, quid accidisset, sed etiam, quid Auctor ipse sentiret, clarius appareret⁴⁵.

44 Ne simus etiam atque etiam hac tamquam inexplicabili implicati quaestione, utrum antiquae factiones, quae in administranda re publica exstiterint cum recentioribus comparari possint necne, idque quod ad Romanam rem publicam pertinet (cf. G. Calboli, “Cornificiana 2” 68–70). Patet enim satis superque aliam fuisse antiquorum rem publicam quam nostra sit, aliam fuisse antiquorum quam nostra sit hominum societas, sed hoc non uetat nos cum antiquis quodammodo comparari, nisi credere malis antiquos tamquam alio in orbe terrarum uixisse, quem ne prioribus quidem labellis attingere liceat. Licet enim semperque licebit nostra cum alienis comparare, ut, quae peiora sint, emendemus, neque meliora, quae sunt, sine sudore et sanguine exstare potuisse, et etiam nunc posse credamus.

45 Cf. G. Calboli, “Cornificiana 2”, pp. 95–101, ubi ea, quae Gelzer 1962 disputauerat, ut probaret Auctorem neutri parti fauisse, confutauit. At, quo loco *optimates* fauore quodam nominati esse uidentur, eum tanti est memoremus: *Rhet. Her.* IV 34,45 (unum est translationis (i. e., metaphorae) exemplum) “*Aliquando rei publicae rationes, quae malitia nocentium exaruerunt, uirtute optimatum reuirdescent*”. Sed hoc de loco cf. G. Achard, p. XXX (C. Marius sese *optimum* ducebat, Sall. *Iug.* 85,16). At multo pluribus in locis *populares* laudat Auctor ad Herennium et magno comitatur fauore: II 28,45 (P. Sulpicius excusatur ad *populares* sese conuertisse), IV 9,13 (non aliter sentit Auctor atque Legis Varias fautores senserint, nempe nobiles cum Italicis coniurasse atque damnandos esse, cf. G. Calboli, “Su alcuni frammenti di Cornelio Sisenna”, p. 183), IV 15,22 (fauor in Gracchos exprimitur), IV 22,31 (plebis defensores a nobilibus interfecti, qui iterum memorati sunt in IV 36,48 et a Caesare, *ciu.* 1,7,6, sese excusante, et a Sallustio, *Iug.* 31,2–17, nobilem factionem incusante, dein a declamatoribus, *popularibus*

Neque tamen tacuerim illis prope annis uel paulo ante tempus illud fuisse, quo C. Marius cum optimatibus facere non sit pertaesum, et Latini dicendi magistri, seu Latini rhetores ludum aperuerint (94–92), in quem censores L. Crassus and D. Ahenobarbus inuecti sunt, illud nempe tempore, quo Latini Rhetores una cum Plotio Gallo conexi fuerint, qui C. Mario, maxime carus fuit, si Cic. *Arch.* 19 sq., audimus, qui eximie scripserit a C. Mario L. Plotium esse dilectum, “*cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari*”.

De *Latinis dicendi magistris* iterum egit Maria Tanja Luzzatto (2002), quae oratores Romanos in foro contendit educari consuesse (nec aliter sentiens ille quidem, antiquae educationis laudator, Messalla in *Dialogo*, qui est *de oratoribus*, inducitur, cf., e.g., *dial.* 34sq.), a L. Crasso igitur uehementer improbatum esse (anno 92 a.Ch.n.), non quid Latini magistri docerent, sed ab illis eos esse educatos, qui e pueritia iam pridem exissent (p. 330). Quod partim probari potest, id est antiquitatis laudatoribus, ut L. Crasso, eos inuisos fuisse magistros, qui suo in ludo dicendi rationem docerent, eoque, non amplius in forum, adulescentulos itare coegissent, qui igitur non modo rationem docendi, sed locum ipsum, ubi docerent, nobilium tamquam e manibus arripuissent. Sed satis non est. Extremis enim his annis et Kaster (1995: 273–275; 291–294) et praecipue Gruen (1990) iterum ueterem suscitauerunt quaestionem, inter nobiles et populares, utrius partis Auctor *ad Herennium* ciuilibus in contentionibus fautor fuisse uideatur, dein qui re uera Plotius Gallus fuerit et senserit. Quae quaestio, uel potius lis, mihi quidem, post editionem, quam Achard curauit (1989), et ea, quae Ioannes-Michael David (1979 et 1992) addiderat, iam satis superque exquisita et excussa esse uidebatur. Nam David non modo mecum, et cum Friderico Marx, Friderico Leo, Aemilio Gabba, iam facere uisus erat, sed noua adduxerat argumenta, cum nihil noui, sed uetera et antiquata uiderem ab aduersariis nostris tamquam iterum atque iterum esse retexta. Quin totam quaestionem Kaster, Luzzatto, Corbeill, Reinhardt – dolet dicere – et Winterbottom, doctissimi uiri non excepti, dum contraria ignorant argumenta ac praecedentes, quae dissenserint, disputationes tacent, obscuriorem fecerunt. Inualuit iam malus Britannicus mos, quo ea omnia ignorantur, quae Anglice scripta non sint. Contendit enim Gruen (1990: 188), ut supra iam uidimus (ad p. 3), a nobis esse Marco Tullio fidem habendam, cum Crassum (Cic. *de orat.* 3,93–95) confitentem induxerit, hac de causa in edicto suo motum sese esse, quod nullam doctrinam nullamque humanitate dignam scientiam in Latinis magistris uidisset. Non poterat enim Cicero – scribit Gruen – mentiri, cum a suae aetatis hominibus confutari posset, ab iis scilicet hominibus “contemporaries of those men who survived to challenge any obvious inventions” [qui nempe eadem aetate uixissent, qua qui disputationi de oratore interesse a Marco Tullio essent inducti, ei scilicet disputationi, quam anno 91 Cicero simulauit habitam, id est triginta sex prope

uidelicet fauentibus, frequentatum argumentum, cf. G. Calboli, “Su alcuni frammenti di Cornelio Sisenna”, pp. 206sg.; IV 34,46 (Liuium Drusum et Gracchos fauore prosequitur Auctor); IV 55,68 (quam nefarie Ti. Gracchus interfectus sit ostendit Auctor, quo de loco cf. G. Calboli, “Démonstration et exemple”, pp. 65–68).

annos ante quam disputatio ipsa a Cicerone anno 55 conscripta est]. Facile respondi (Calboli, 1993a: 504, et supra ad p. 3) nullo pacto posse probari, quae consilia L. Crassus animo suo, cum edictum condidisset, agitauerit, quaeque censor alter Domitius, ea numquam manifesta publice facta esse, consentaneum autem esse aut nullos aut perpaucos, tot annis consumptis, bello praeterea ciuili inter Marium et Sullam confecto taeterrimo, superstites tandem fuisse. Eorum quidem, qui illi interfuisent disputationi, **superstitem, cum Cicero scriberet, exstitisse iam neminem** (cf. A. Wilkins, 1965: 8–26)⁴⁶. Quod argumentum de Grueni sacco sumptum, cum ceciderit, id ipsum argumentum cadat oportet, quo Kaster est usus, qui totum ad id se remiserit, eoque sit tantum confisus, quod Gruen – quam probabiliter nuperrime uidimus – scripsit. Quod autem disputationem quandam futuram (forthcoming) memorauit, quam Wallace-Hadrill habiturus esset, nullam equidem, cum attentius inquirerem, repperi.

Sed ad Plotium Gallum ueniamus. Hic quoque perpauci sunt a Kaster adhibiti auctores, sed eius disputatione non omnia sunt, quae considerari debuerant, considerata. Negat enim Kaster (p. 293) ullo alio argumento melius quam Ciceronis loco (*Arch.* 20)⁴⁷ probari Plotium Gallum Mari et Marianorum fautorem fuisse. Neque Ciceronis locum transcripsit, nec alia memorauit argumenta, nempe Plotium Gallum inter Latinos rhetoras esse ponendum, eis autem ipsis annis eum floruisse, quibus (86–82) *Rhetorica ad C. Herennium* conscripta esse uideatur – quod iam memorauerat Marx, *Prolegomena* 150 –, Auctorem *ad Herennium*, ex iis omnibus locis, quos et Marx et ego quidem ipse (Calboli, 1965: 93–102) collegimus, aperte ad populares et Marianos inclinasse apparere (quo Ti. Gracchus fortiter nobilibus resistens descriptus sit, quo P. Sulpicium iniuste interfectum esse, cum plebi faueret, demonstratum sit, atque inter eos P. Sulpicius enumeratus sit, qui a nobilibus interfecti essent, quos C. Iulius Caesar (*ciu.* 1,7,6) et Crispus Sallustius (*Iug.* 31,2) collegerunt). Sed tempus est iam, nos locum laudare, quo Cicero, cum pro Archia poeta diceret (*Arch.* 19sq.), ostendit, quam familiariter Plotius Gallus cum C. Mario uixerit:

Cic. *Arch.* 19sq. *Nam et Cimbricas res adulescens attigit [sc. Archias] et ipsi illi C. Mario, qui durior ad haec studia uidebatur, iucundus fuit. Neque enim quisquam est tam auersus a Musis, qui non mandari uersibus aeternum suorum laborum praeconium facile patiatur. Themistoclem illum, summum Athenis uirum, dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur [...] cuius uocem libentissime audiret: 'eius, a quo sua uirtus optime praedicaretur'. Itaque ille Marius item **eximie L. Plotium dilexit**, cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari.*

Nullum potest clarius et apertius testimonium inueniri, quo Plotium Gallum et C. Marium familiariter uixisse probetur. Quae autem popularis dicitur factio, eam inter omnes constat C. Mario eiusque fautoribus et heredibus ut C. Caesare nisam esse. Quod uero ad hunc pertinet locum et Plotium Gallum, ea te, lector, considerare iu-

46 Hac de re diligentius egi Calboli 1993a: 503–506.

47 Hunc autem locum transcribere Kaster piguisse miror.

beo, quae libello disputauī, qui inscribitur, “La retorica preciceroniana”, ad pp. 89–99. Quae enim illic allata sunt argumenta, a nemine ad hunc diem confutata uidi, aueo autem aut Gruen aut Corbeill aut Luzzatto aut alium quem ea confutanda suscipere nec quemquam de hac re disputare, quin ad ea distincte et partite incumbat explicanda. Nunc iam Germanice pergam, ut ea equidem eadem lingua confutem, quae Lee-man-Pinkster-Wisse hac de re scripserunt. Scripserunt enim (1996: 305): “Daß dem Auftreten der lateinischen Lehrer kein ‘demokratisches Programm’ zugrunde lag, wie Marx meinte (1894, 147–50; vgl. Calboli, 1969/93, 34–42), steht wohl fest (vgl. Schmidt 1975, 197–201; Bonner 1977, 71–2; Gruen 1990, 180–4; Kaster 1995, 293), was aber über etwaige politische Gründen der Zensoren noch wenig aussagt. Auch ist klar (pace Gruen 1990, 179–80), daß die Zensoren die Schule mit ihrer Maßnahme aufheben wollten, wozu sie übrigens nur moralische Autorität einsetzen konnten, da sie dazu keine juristische Kompetenz hatten (s. Manfredini 1976, 104–14). Damit ist aber die Frage nach ihren Motiven noch nicht gelöst”. Ad quae ego sic respondeo: Hierbei habe ich etwas, wenn nicht vollständig richtig, jedoch annehmbar gelesen und etwas, das m. E. ganz verfehlt ist. Zunächst ist es gar nicht festgelegt, dass ein ‘demokratisches Programm’ den lateinischen Lehrern zugrunde lag, so dass die aristokratischen Zensoren gezwungen wurden, einzutreten. Aber das ganze Problem darf nicht mit diesen Worten dargestellt werden, denn niemand hat von einem Programm gesprochen. Die sogenannten *populares* waren keine Partei, und zwar nicht im Sinne der modernen Parteien – ich kenne dieses Problem sehr wohl (vgl. G. Calboli, 1965: 64–72). Die Faktionen jener Zeit waren von den modernen Parteien sehr verschieden, aber nicht so weit, dass man die *populares* von der *factio nobilium* nicht unterscheiden könnte. Es handelte sich um “primitive Parteien”. Daran habe ich schon gegen Schmidt 1975 in Calboli 1982: 72–79, und gegen Manfredini in Calboli 1982: 79–96 gesprochen, und zwar wie jetzt gegen Gruen und Kaster – Bonner ist nicht ausführlich in das Problem eingegangen. Ich darf also die Beurteilung, die Politik habe in dieser Tatsache nicht Teil genommen, keineswegs annehmen, und als eine Fälschung die Nachricht halten, dass kein ‘demokratisches Programm’ dem Antreten der lateinischen Lehrer zugrunde lag, denn es handelte sich sicher um kein ‘demokratisches Programm’, dies aber schließt es nicht aus, die *populares* (Marius und seine Anhänger) seien in die Römische Politik als eine ‘primitive Partei’ eingetreten⁴⁸. Nunc locos transcribam, ubi in *Rhetorica ad Herennium*, apud Caesarem et Sallustium ii collecti sunt uiri, qui pro plebe Romana dimicantes a nobilibus, tamquam Chrystiani martyres, interfecti sunt:

- a. *Rhet. Her.* IV 22,31 “*Tiberium Graccum, rem publicam administrantem, prohibuit indigna nex diutius in eo commorari. Gaio Gracco similis occisio est oblata, quae uirum rei publicae amantissimum subito de sinu ciuitatis eripuit. Saturninum fide captum malorum perfidia per scelus uita priuauit. Tuus, o Druse, sanguis domesticos parietes et*

48 Zur römischen *plebs* vgl. J.-C. Richard, *Les Origines de la Plèbe Romaine* 587–600.

*uoltum parentis aspersit. Sulpicio, qui paulo ante omnia concedebant, eum breui spatio non modo uiuere, sed etiam sepeliri prohibuerunt*⁴⁹.

- b. Caes. ciu. 1,7,5–6 *Quotienscumque sit decretum, darent operam magistratus, ne quid res publica detrimenti caperet, qua uoce et quo senatus consulto populus Romanus ad arma sit uocatus, factum in perniciosis legibus, in ui tribunicia, in secessione populi, templis locisque editioribus occupatis; atque haec superioris aetatis exempla expiata Saturnini atque Gracchorum casibus docet* [sc. Caesar milites adlocutus]; *quarum rerum illo tempore nihil factum, ne cogitatum quidem: nulla lex promulgata, non cum populo agi coeptum, nulla secessio facta*⁴⁹.
- c. Sall. Iug. 31,7 *occiso Ti. Graccho, quem regnum parare aiebant, in plebem Romanam quaestiones habitae sunt; post C. Gracchi et C. Fului caedem item uostri ordinis multi mortales in carcere necati sunt: utriusque cladis non lex, uerum libido eorum finem fecit.*

Qui autem artis rhetoricae ludi exstare poterant? Tradita quae sunt si modo considerauerimus, non multos fuisse respondebimus. Nam M. Antonium accepimus, quem illis annis cum C. Mario quodammodo facere pertaesum non sit, Arti Rhetoricae conscribendae incubuisse, quam tamen imperfectam reliquit, dein a Latinis Rhetoribus institutum ludum, quibus antistes exstiterit Plotius Gallus, C. Mari familiarissimus homo. Ii uidentur igitur artem rhetoricam docere coepisse, qui ex plebe orti essent, atque nobilium eam consuetudinem artis oratoriae ediscendae reliquissent, qua adulescentes praeclaros oratores in foro sectarentur et in Graeciam uenirent. Quoniam autem primus equitum Rubellius Blandus rhetoricam docuisse traditur (Sen. *contr.* 2, *praef.* 5), efficitur humiles magistros, M. Antonio excluso, huic arti operam tunc dare consuesse, cum equites et nobiles traditam consuetudinem non intermittere maluissent, ut praeclaros oratores sectarentur et in Graeciam aut Rhodum se conferrent. Qui fuit Marci Tulli, quantum nouimus, usus. Sed Marcum ipsum Tullium non omnino puduit, scholasticos ludos quodammodo tractare, qui Rhetoricos libros conscripserit, quamquam ad finem non perduxit. Non defuerunt igitur rhetoricae artis magistri, seu Romani liberti uel liberi, seu Graeci philosophi, si quidem anno 161 M. Pomponius praetor philosophos et rhetoras ex Senatus consulto curauerit, *uti Romae ne essent* (cf. G. Calboli, 1982: 49). Anno a.Chr.n. duodenonagesimo aut octuagesimo septimo (88–87) Marcus Tullius libros rhetoricos duos composuit, qui sunt *De inuentione*, cum, ut ille ipse scripsit, *puer* uel potius *adulescentulus* esset (Cic. *de orat.* 1,5 *quae pueris aut adulescentulis nobis ex commentariolis nostris incohata ac rudia exciderunt*). Quis eum docuerit mehercule quaero inuentionem doctrinae plenam et dif-

49 Hic duo animaduertenda sunt: ex obliqua oratione in rectam Caesarem orationem suam uertisse, ut uidelicet ostenderet re uera, sua ipsius Caesaris opinione nullam legem promulgatam, non cum populo agi coeptum, nullam secessionem factam esse (quod nonnumquam accidere iam notarunt ii docti uiri, qui de oratione obliqua egerunt (cf. G. Calboli, 2017) idque uocant 'Erlebte Rede', id est, si quis obliquam orationem cum habeat, in eam introducat rectam (cf. A. Debrunner, 1947: 125f.). Alterum longe aliter a Caesare atque ab Auctore ad Herennium et a Sallustio has res iudicatas, cum Auctor et Sallustius nobiles criminari non dubitauerint, molto summissius Caesar se egerit, qui et Saturninum et Gracchos contra rem publicam et Senatum egisse significarit, nihilque se dixerit simile fecisse, nempe ut ostenderet aduersarios suos non omnes esse nobiles et patres, sed eos tantum qui Pompeium sequi maluissent.

ficilem illam quidem, quam suis libris exposuit. Num L. Crassus in foro? Ciceronem docuit profecto quispiam rhetoricam eam, quam Rhodiorum in ludis Rhodii magistri docebant et quispiam *Rhetoricae ad Herennium* docuit doctorem, qui non eandem de constitutionibus seu statibus doctrinam atque Hermagoras Temnites et Marci Tulli magister doceret, quippe quae ex tribus, non ex quattuor statibus constaret. Quam cum tripartitam et M. Antonius profiteretur, et profiterentur Antonium secuti, ea ex alio atque Marci Tulli ex ludo profecta sine dubio erat. Fieri potest, ut M.T. Luzzatto recte senserit, cum contendit pristinam forensem consuetudinem Crasso (et Domitio) censoribus probatam esse, cum contra in ludum *homines adulescentulos itare* uiderent ibique *dies totos desiderare* (non aliis utitur Cicero, *de orat.* 1,5, uerbis). In Latinos enim rhetoras eorumque ludum inuecti sunt, nec ullum alium ludum quam rhetorum Latinorum illis annis exstitisse nouimus et hunc ipsum in edicto censorum significatum uidemus (*sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras*). Nempe de Ploti Galli, C. Marii familiaris, ludo agi consentaneum est, qui primus rhetoricam Latine docuerit, ut Cicero epistula quadam ad M. Titinium missa nos docuit, quam Suetonius (Suet. *rhet.* 26,1) rettulit: *Equidem memoria teneo – sic scripsit Marcus Tullius – pueris nobis primum Latine docere coepisse Plotium quendam, ad quem cum fieret concursus [in edicto censorum legimus: ad quos iuuentus in ludum conueniat], quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere, continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse.*

Quodsi Ciceronis quoque locum (*de orat.* 3,95) contuleris, scilicet anno 92 (*hoc biennio*) Latinos quoque rhetoras coepisse⁵⁰ Latine rhetoricam docere, ad eandem necesse erit conclusionem peruenias, Plotium Gallum inter Latinos rhetoras esse ponendum (Cic. *de orat.* 3,95 *etiam Latini, si dis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt; quos ego censor edicto meo sustuleram*). Neque aliter sensit Seneca Rhetor (*contr.* 2 *praef.* 5), neque aliter Quintilianus (cf. adn. 50). Fieri potest, ut recte Kaster iudicari, cum haec omnia ex Ciceronis epistula uenisse scripsit, quam Cicero ad Titinium miserit, sed Kaster (qui tamen non inepte de hac re egit) in eum incurrit errorem, ut Plotium Gallum totum a *Rhetorica ad Herennium* seiungeret (Kaster, p. 293). Tempus est igitur, omnia nos colligere et recensere, quae ad hanc rem facere uidentur: (1) Plotium Gallum antistitem seu principem Rhetorum Latinorum fuisse; (2) Plotium familiariter cum C. Mario uixisse, nam C. Marius *eximie L. Plotium dilexit* (Cic. *Arch.* 20); (3) Plotium autem neque nobili neque equestri genere natum esse, cum primus rhetoricam docuerit eques Rubellius Blandus (Sen. *contr.* 2 *praef.* 5); (4) multos in *Rhetorica ad C. Herennium* locos exstare – tametsi nonnulli ex declamationibus sumpti esse uidentur – quibus locis non modo popularium fautores amice tractentur – populares cum memoro, nullos alios, quam C. Marii socios uel amicos

50 Cicero scripsit *exstiterunt* (cf. infra in textu), sed non aliter intellegi potest, quam Quintilianus interpretatus est, scilicet *coeperunt*: Quint. *inst.* 2,4,42 *Latinos uero dicendi praeceptores extremis L. Crassi temporibus coepisse Cicero auctor est: quorum insignis maxime Plotius fuit.*

memoro –, sed Auctor eodem animo et consilio, quo Sallustius (*Iug.* 31,2) usus sit, plebis fautores a nobilibus interfectos esse memorauerit. Longius fortasse G. Achard (pp. XXXI sq.) prouectus est, qui Auctorem *ad Herennium* suspicatus sit senatorem et C. Mari fautorem, Sullanis caedibus absumptum esse, quod cum confirmari nulla notitia possit, neque absurdum neque incognitum nostraeque huius operis cognitioni contrarium uidetur. Rem unam uidit M.T. Luzzatto, id est pristinam forensem consuetudinem a Crasso seruatum, reliquas neglexit, quas tamen neglegere nobis fas non est, si antiquorum scripta nos neglexisse pudeat⁵¹. Quod enim J.-M. David (1979) accidisse admonuit ac “monté des accusateurs” appellare non dubitauit, inauditum usque ad id tempus fuit. Exstremo accidit secundo saeculo, et primis insequentis saeculi annis, eodem tamen tempore, quo ars rhetorica doceri coepta est, et ciuiles discordiae primo asperiores factae sunt, dein ad arma uenire ciues Romanos ueritum non est. Hoc autem rebus ipsis nititur, magisque patet, si quaestionem totam consideraueris, si siluam aspexeris, non singulas arbores, ut Germanice dicitur. Atque utinam et singulas arbores diligenter aspicerent et inquirerent, neue praetermittere mallent!

Plotium Gallum apparet igitur C. Mario familiarem fuisse, quod satis superque esse mihi uidetur, ut non eum modo, sed etiam Auctorem *Rhetoricae ad C. Herennium* popularium partis fautorem fuisse credamus. Quod me probasse spero duabus disputationibus, quae sunt “Cornificiana 2” 57–103, et “Su alcuni frammenti di Cornelio Sisenna” 189–208. Mihi autem adstipulatus est G. Achard (pp. XXVIII–XXXIII), nempe qui scripserit, quibus *Rhetoricae* locis Auctor ciuilibus concertationibus sese immiscuerit, in plerisque (II 28,45; IV 9,13; IV 15,22; IV 22,31; IV 34,46; IV 55,68)⁵² eum popularibus fauisse uideri. Ex quibus praecipue duo me mouerunt loci, altero quo eorum series proponitur, qui, cum pro plebe Romana agerent, interfecti sunt (IV 22,31), quem supra memorauimus, et altero ubi Ti. Gracchi nex enarrata est:

Rhet. Her. IV 55,68 “*Quod simul atque Graccus prospexit, fluctuare populum, uerentem, ne ipse auctoritate senatus commotus sententia desisteret, iubet aduocari contionem. Iste [sc. Scipio Nasica] interea scelere et malis cogitationibus redundans euolat e templo louis: sudans, oculis ardentibus, erecto capillo, contorta toga, cum pluribus aliis ire celerius coepit.*”

51 Hac de re cf. G. Calboli, 1982: 79sq. Quod in ea, quae meum post *exposé* habita est, disputatione defendi, id reiecit nemo, nisi quod unus M. Winterbottom (ad p. 101) suspicatus est, declamationes idcirco a Suetonio quodammodo neglectas esse, quod Suetonius se totum rhetoribus Latinis describendis dederit (“Their continuing importance [sc. declamationum] is obscured by Suetonius’ concerning himself only with Latin teachers”) et propter Ciceronis opinionem, perfectum illum oratorem non posse solis τέχναις ῥητορικαῖς et declamationibus instrui et formari. Sed declamationes a Suetonio obscuratas et neglectas esse nullo modo probari potest, qui rhetores Latinos lineis quattuordecim (14) absoluerit, si editionem consideres, quam Brugnoli Teubneri in Aedibus curauit, declamationes quadraginta quattuor (44). Non oportet ut quicquam aliud addam. Nihil de hac re apud Leeman-Pinkster-Wisse, *De orat. Kommentar* 4. Bd., p. 310, inuenias, qui hanc disputationem, nonnullis omissis, retulerunt.

52 Quod ad Plotium Gallum spectat, cf. G. Calboli, 1982: 89–93, ubi antiquorum textus omnes translati sunt, quibus ea sunt explicata, quae nobis hac de re nota sunt, et ea quoque, quae A. Manfredini 1976 disputauit, memorata inuenias.

Illi [sc. Tiberio] praeco faciebat audientiam; hic [sc. Nasica], subsellium quoddam excors calce premens, dextera pedem defringit et hoc alios iubet idem facere. Cum Graccus deos inciperet precari, cursim isti impetum faciunt et ex aliis alii partibus conuolant atque e populo unus: Fuge, fuge, inquit, Tiberi. Non uides? Respice, inquam". Deinde uaga multitudo, subito timore perterrita, fugere coepit. At iste [sc. Nasica], spumans ex ore scelus, anhelans ex infimo pectore crudelitatem, contorquet brachium et dubitanti Gracco [...] percutit tempus. Ille [sc. Graccus], nulla uoce delabans insita uirtute, concidit tacitus. Iste [sc. Nasica] uiri fortissimi miserando sanguine aspersus, [...] et hilare sceleratam gratulantibus manum porrigens, in templum Iouis contulit sese".

Qui haec scripsit, etiamsi per declamationem scripserit, eum popularibus fauisse luce clarius apparet. Nam, cum Appianus et alii rerum scriptores eadem narrarunt, haud pauca immutauerunt (cf. App. *ciu.* 1,68–70; Val. Max. 3,2,17; Plut. *Gracch.* 18–19; Vell. Pat. 2,3; Oros. *hist.* 5,9,1–3; Diod. Sic. 34/35,33,4–6). Quam popularibus obnoxius Auctor *ad Herennium* fuerit, ex comparatione elucet eorum, quae eadem de re Appianus, multis immutatis, rettulit, reliquis rerum scriptoribus, quos supra laudauimus, plus minusque cum Appiano concordantibus, sed ab Auctore *ad Herennium* nimium quantum dissentientibus. Appianus enim, qui omnium diligentissime hanc rem enarravit (cf. etiam Aemili Gabba, *Commentarium*, pp. 43–55), refert Tiberium noctu, antequam comitia haberentur, amicos et fautores conuenisse, templum Capitolinum occupasse (uidelicet exteriorem templi partem, ubi comitia habebantur) et a Gracchi fautoribus (App. *ciu.* 1,65 τῶν συνειδόντων) primae classis ciues (τοὺς πλουσίους) ui et uerberibus ex comitiis expulsos esse, in quibus noui tribuni eligi debebant, cum Ti. Gracchus, iterum tribunicus candidatus exstaret, quod contra legem et morem erat. Plus enim tribuni quam consules poterant, iterumque fieri uetabantur, ne ad regiam dignitatem ascenderent. Tum tribuni territi ex comitio fugerunt, ac templi portas sacerdotes clauerunt (ὥς τοὺς τε δημάρχους δέισαντας διαφυγεῖν ἐκ μέσου καὶ τὸν νεῶν τοὺς ἱερέας ἐπικλείσαι). Senatus in aedes Fidei Publicae conuenit (Valerius Maximus 3,2,17, narrat Senatum post comitia habitum). Patres uero in Capitolium, P. Cornelio Scipione Nasica, pontifice maximo praeunte, se contulerunt. Ita autem ab Auctore *ad Herennium* tota res enarratur, tamquam si Scipio et Patres omnia mouisse uideantur.

E templo enim Iouis in comitium descendens Scipio inducitur (*euolat e templo Iouis*), dum populus colligitur (*praeco faciebat audientiam*) et Tiberius precationem inicit (*Cum Graccus deos inciperet precari*). Itaque impietatis crimen, quo templi portas sacerdotes claudere coacti sint, in Nasicam uertitur⁵³ (cf. etiam Aemili Gabba, *Commentarium*, pp. 47sq.). Neque Auctor *ad Herennium* criminationibus in Nasicam

53 Auctor *ad Herennium*, omni pietate seruata, se gessisse ostendit Tiberium, neque religionem ab eo esse uiolatam. Hoc enim Ernestus Badian demonstrauerat ("Tiberius Gracchus" 722–726), omni pietate seruata, religionem adhibitam esse, cum Ti. Graccus eiusque fautores interfecti essent: pontificem maximum, Scipionem Nasicam, caput toga texisse, ferro abstinuisse, sed, ligneis sellarum pedibus abreptis, e Fidei Publicae aedibus profectum esse, ut Tiberium eiusque fautores adgrederetur, qui, cum alterum plebis tribunatum contra legem peteret, regalem potestatem, religione sprete, adsumere conaretur.

parcit, qui eum ita descriperit: *spumans ex ore scelus, anhelans ex infimo pectore crudelitatem [...] sceleratam gratulantibus manum porrigens*. Neque uerba inaniter Auctor effundit, cum Tiberi necem, ut euenerit, narrat. Legitur enim apud Plutarcum et Orosium in fugam conuersum Tiberium, sed lapsum esse et percussum. Velleius quoque Paterculus narrat Tiberium Graccum esse, dum fugit, interfectum:

Plut. *Gracch.* 19,9–10 αὐτοῦ δὲ τοῦ Τιβερίου φεύγοντος ἀντελάβετό τις τῶν ἱματίων. Ὁ δὲ τήβεννον ἀφείξαι καὶ φεύγων ἐν τοῖς χιτῶσιν ἐσφάλη καὶ κατηνέχθη περὶ τινος τῶν πρὸ αὐτοῦ πεπτωκότας. Ἀνιστάμενον δ' αὐτὸν ὁ μὲν ἐμφανῶς καὶ πρῶτος εἰς τὴν κεφαλὴν πατάξας ποδὶ δίφρου Πόπλιος ἦν Σατυρήιος εἷς τῶν συναρχόντων· τῆς δευτέρας ἀντεποιεῖτο πληγῆς Λεύκιος Ροῦφος, ὡς ἐπὶ καλῶ τιμῆ σέμνυόμενος. “Tiberius ipse cum fugeret, toga adprehensus a quodam, togam amisit, tunicam tantum indutus, cum in nonullos incidisset, qui prouoluti erant, lapsus est. Exstitit uero, sed omnibus spectantibus, Publius Satureius, collega, subselli abrepto pede, capite eum primus percussit, secundo ictu a se percussum quasi glorioso facinore Lucius Rufus gloriatus est”.

Oros. *hist.* 5,9,2 *Gracchus per gradus, qui sunt super Calpurnium fornicem, detracto amiculo fugiens ictus fragmento subselli conruit rursusque adsurgens alio ictu clauae cerebri inpactae exanimatus est.*

Vell. *Pat.* 2,3,2 *Is [sc. Tiberius] fugiens decurrensque cliuo Capitolino, fragmine subsellii ictus, uitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finiuit.*

Quodsi ad enuntiatum reueneris, quo Auctor *ad Herennium* (IV 55,68) usus est: *Ille [sc. Ti. Gracchus] nulla uoce delabans insita uirtute concidit tacitus*, apparet Auctorem ad ea respondere uoluisse, quae illi criminarentur, quorum opiniones a Plutarcho, Orosio, Velleio Paterculo traditae sunt, id est Tiberium in fugam conuersum, lapsum et percussum esse. Nam Auctor negauit fugam cepisse Tiberium, neque fugientem in nonnullos iam prouolutos incidisse et lapsum esse – quod uocabulo uno quodammodo probatur *delabans*, quod equidem contra plerosque editores in textum ex codicibus recepi⁵⁴: *nulla uoce delabans [sc. Ti. Gracchus] insita uirtute, concidit tacitus* – immo eum tamquam in statione mansisse et, dignitate sua omni cecidisse seruata (*insita uirtute*). Namque a nullo alio aliter rerum scriptore Ti. Gracchi nex ita narrata est, ut in *Rhetorica* tantum *ad Herennium* (et in Diodori Siculi opere, 34/35,33,4–6) eum a Scipione Nasica percussum esse legatur (quod Aemilium Gabba, *Comm.*, p. 53, non effugit), et eo quidem modo Tiberi nex enarrata sit, quo maxime Tiberi uirtus, nulla addita reprehensione, ostenderetur⁵⁵.

Hac autem de caede actiones multae habitae sunt, sed omnes post P. Scaeuolae consulatum anno 133, qui ut uim aduersus Tiberium adhiberi posse negauerat neque exercere ipse uoluerat, ita ultiones quoque, quantum potuit, prohibuit. At duobus tantum interpositis annis, Tiberi causa uictrix euasit, eiusque inimici omnes perierunt (cf. E. Badian, “Tiberius Gracchus” 729).

54 Cf. Adnotationes Criticas ad p.384.

55 Cf. etiam disputatiunculam meam, quae inscribitur “Démonstration et exemple” 60–66.

Et plebi et popularibus Auctorem *ad Herennium* fauisse contendit Fridericus Marx, eadem ego quidem ipse et sensi et saepius defendi, eadem Jorma Kaimio, Guy Achard, Joannes-Michael David, ne multos memorem, et senserunt et fecerunt.

Neque uerba neglegenter, nulla et rerum et temporum cognitione habita, ab Auctore *ad Herennium* adhibita esse probaui, qui ut aliqua spe adductos ostenderet Italicos socios sociale bellum inisse, uocabulo, qui est *spes*, ita usus sit, ut bellum illud ab illis nulla spe fretis susceptum esse negaret (*Rhet. Her.* IV 9,13 *Nulla igitur re inducti, nulla spe freti arma sustulerunt?*). Quod uerbum, per negantis formam etiam a Cornelio Sisenna adhibitum esse uidemus, cum bellum sociale narraret, quippe qui socios Italicos scripserit *desperata uoluntate* (frg. 10 Peter²) arma sumpsisse contra Romanos (cf. G. Calboli, “Su alcuni frammenti di Cornelio Sisenna” 180–184). Sed alia exstitit causa, cur minima quoque illis de rebus non neglegerentur, quod nempe id quaerebatur, cui bellum sociale, ex quo et ciuilia nata essent bella, culpa dandum esset. Respondebant populares et equites, qui cum illis facerent, nobilibus id esse culpa dandum, qui cum Italicis societatem inissent (quod erat et Variarum quaestionum et Legis Variarum fundamentum, de qua in *Rhet. Her.* IV 9,13; et IV 11,16 declamationes factitatas uidemus). Hoc crimen reiciebant nobiles, qui Lege Varia lacessitos socios Italicos adseuerarent, et Liui Drusi nece (ita Appianus, Asconius, Sisenna) et Metelli Numidici (ita Cicero). Nec populares respondere uerebantur, M. Liuium Drusum, tribunum plebis, quo interfecto bellum sociale initum esset, a nobilibus, cum clientes uespere domi dimitteret, esse percussum (*Rhet. Her.* IV 22,31 [uide supra, p.37 adn.45]; Ps. Sall. *rep.* 2,6,5) (qua de re cf. Calboli, “Su alcuni frammenti di Cornelio Sisenna” 213). Alteris respondere alteri non dubitabant.

In *Rhet. Her.* IV 55,68 Auctor ad *πάθος* confugit, idque fecit, ut per locum ex declamatione sumptum ostenderet Ti. Gracchum a nobilium factione interfectum esse, cum non aliter fratri eius, Gaio Graccho, et Liui Druso et L. Saturnino et P. Sulpicio a factione nobilium similis nex esset illata, quippe qui plebis Romanae defensores exstitissent – quae nomina, nempe *factio nobilium* et *plebis defensores* ex Sallustio sumpsi (*Iug.* 8,1; 28,4; 31,2; 41,6; Ps. Sallust. *rep.* 2,8,6). Nam haec a Sallustio (*Iug.* 31,2) quoque et a C. Caesare (*ciu.* 1,7,6), ut supra uidimus, memorata sunt. Hoc igitur a popularibus adhibitum esse uidetur et uelut declamationis argumentum factitatum, cum illis temporibus declamatores ex historia ea sumere consuissent, quae seu in Vrbe seu extra Urbem accidissent. Ciuiles igitur discordiae in historiam introduci et a rhetoribus suo in ludo ita elaborari sunt coeptae, ut nonnullis uocabulis et enuntiationibus tamquam contentionum notis res ipsae significarentur (*nulla uoce delabans insita uirtute, cum Graccus deos inciperet precari*).

Neque tamen Auctor Seruianam ordinum constitutionem omnino obliterare et antiquare uoluisse aut potuisse dixerim, qui, cum laudabile in deliberatione explicaret, scripserit: III 4,7 *Cum igitur erit demonstratum rectum esse, laudabile esse demonstrabimus aut ab idoneis hominibus – ut si qua res honestiori ordini placeat, quae a deteriore ordine improbetur – aut quibus sociis aut omnibus ciuibus, exteris nationibus posterisque nostris*. Coactus est igitur Auctor *ad Herennium* iis institutis uti, cum

exempla ex urbis statu sumeret, quae exstarent et idcirco intellegi possent, quod immutata ab omnibus agnosci iam non possent, si quidem uere sua, non Graeco e fonte sumpta, ille proferre uellet. Praeterea populares maiorum mores, qui corrupti essent, non delere, sed restaurare potius uoluerunt (cf. Sall. *Iug.* 33,3⁵⁶).

Auctorem uero *ad Herennium* populari parti et fauisse et cum Rhetoribus Latinis et Plotio Gallo et M. Antonio oratore, qui nonnullos ante annos ad C. Marium accessisset⁵⁷, etiam Joannes-Michael David, "Promotion Civique", 157–162; Id., *Le patronat judiciaire* 369–371, ut supra uidimus, coniunctum quodammodo esse credidit. At Arrigus Manfredini negauit Plotium Gallum, qui a Suetonio (*rhet.* 26,1) laudatus sit, cum Auctore *ad Herennium* coniunctum ullo modo esse, negauitque edictum alia de causa a Crasso et Domitio censoribus constitutum esse, quam ut adolescentium studia et ingenia tuerentur, neque quicquam cum concertationibus ciuilibus habuisse commune. Quod et P.L. Schmidt ("Die Anfänge der institutionellen Rhetorik" 183–216) et, ut supra uidimus, et E. Gruen (*Studies* 187–191) defendere non dubitarunt, qui omnes Ciceronis potissimum uerbis *De oratore* 3,93–95 nisi sunt.

His tamen omnibus equidem respondi atque contraria argumenta singillatim omnia confutauit (Calboli, "La retorica preciceroniana" 72–99; 101f.; 108; Id.: 1993a (*Aggiornamenti*), pp. 503–506) et punctum quoque memorauit, ubi Manfredini non satis uigilasse uidetur (pp. 93sg.)⁵⁸. At concessi L. Crassum non modo ciuili dissensione duci potuisse, sed etiam cura morum, qua et studia adolescentium, ad Graecam quoque doctrinam accedentium et ueteres Romanos mores, nobilium oratorum consuetudinibus seruatis, una simul defendere conaretur. Contraria autem Latinos magistros et dixisse et fecisse, qui Graecos improbarent, sed Graecam doctrinam docere non uererentur. Sed Ciceronis argumento nos teneri negauit, quo Marcus Tullius omnia uere dicere coactus sit, ne ab iis, qui se legerent, confutaretur. Nec paucos annos praeteritos esse, postquam L. Crassus ea inductus esset dicere, quae Tullius eum

56 Quanti Sallustius morem maiorum fecerit disputauit Büchner, *Sallust* 313–315, cf. G.M. Paul, *Historical Commentary* 215. Recte monet Paul Sallustium uideri magni morem fecisse maiorum, si *epist.* 1,5,4, conferas, ubi legitur: *id ita eueniet, si sumptuum et rapinarum licentiam dempserit, non ad uetera instituta reuocans, quae iam pridem corruptis moribus ludibrio sunt.* Sed incertum est num Sallustio haec epistula adscribenda sit.

57 At M. Antonius est a C. Mario interfectus, cum C. Marius Romam rediit et potitus rerum est (anno 87, cf. Udo W. Scholz, *Der Redner M. Antonius* 48–50 et 137sq.), cum Antonius Senatam defendere ausus esset et pacem inter C. Marium et L. Sullam in Senatu suasisset.

58 Scripsit enim H. Manfredini, "L'editto «De coercendis rhetoribus Latinis»" 136 n. 152, cum de *Rhet. Her.* II 28,45, ageret, ubi P. Sulpicius primo intercedens inducitur, ne exules reducerentur, dein suadens, ut reducerentur, quasi non exules, sed ui eiecti essent, nempe exules, *quibus causam dicere non licuisset*: "L'orientamento politico che il brano esprime lo si ricava dal fatto – pacifico – che tra gli *exules* di cui si tratta vi sono anche quelli condannati dalla *quaestio* introdotta dalla *lex Varia*". Qua autem condicione iis *causam dicere non licuisset*, ea excluditur hic de iis agi, qui lege *Varia* in exilium pulsi essent, cum eos exules se defendisse inter omnes constet, uelut Antonium, qui genu, cum se defenderet, terram tangere non dubitasset (Cic. *Tusc.* 2,57). Patet igitur alios fuisse exules, ueluti Saturnini fautores, ut equidem suspicatus sum (G. Calboli, "La retorica preciceroniana", p. 94).

dixisse scripsisset, neque consentaneum esse publice L. Crassum patefecisse, quo consilio ductus esset. Marco Tullio igitur conclusi, non L. Crasso, id adscribendum esse, quod Cicero (*de orat.* 3,93–95) contendisset, nempe nullo alio L. Crassum consilio inductum esse, ut Latinos magistros anno 92 tolleret, quam ne adulescentium Romanorum studia corrumpentur et mores. Triginta sex interpositos esse annos inter censorum edictum et Ciceronis libros, qui sunt *De oratore*, nec ullum testimonium iam exstitisse, cum haec Marcus Tullius scripsisset, neque sua consilia publice aperuisse Crassum. Neque litterarum studia et forenses labores et rei publicae curam separari et seiungi potuisse arbitror a Marco Tullio, qui perfecto oratori effingendo et parando uiam et rationem aperiendi tamquam officium sumpsisset, qui non bonum tantum oratorem, sed bonum quoque uirum et ciuem una simul creandum et formandum sentiret. Rei publicae autem curam cordi fuisse uidemus omnibus, qui iure contendere cum inimicis et competitoribus consuessent. Qui mos ita fuit cum eloquentia coniunctus, ut, simul atque iure contendere ciues Romani desierunt et ad arma uenerunt, eloquentia corrupta et mortua sit, neque aliam corruptae eloquentiae causam Maternus Taciti in *Dialogo* inuenerit quam forensem concertationis consuetudinem cecidisse, eam scilicet concertationem, qua, principe Rem publicam administrante, iam opus non esset. Jorma quoque Kaimio, celeberrimo suo libro, qui inscribitur *The Romans and the Greek Language*, ad p. 199, concessit ad ueritatem me propius accessisse uideri⁵⁹.

Vltimus contra in scaenam negantium ciuiles concertationes ullius ponderis fuisse prodit Antonius Corbeill (“Rhetorical Education in Cicero’s Youth”, p. 41 adn. 59), qui non aliter Auctorem *ad Herennium* sensisse defendit quam Marcum Tullium, cum Libros Rhetoricos scripsit. Quod neque certum est, nihil simile Cicerone profere, neque comprobari potest, nulla connexionione inter Marci Tulli Libros Rhetoricos et *Rhetoricam ad Herennium*, quod ad ciuiles concertationes attinet, exstante⁶⁰. Quin statuum doctrina utriusque auctoris comparata, Ciceronem apparet quattuor status seruasse, ad tres redegisse Auctorem *ad Herennium*, ut eius doctor et M. Antonius, qui tunc ad C. Marium accessisset, et Antonium secuti fecissent. Ne de iis locis loquar, ubi Auctor *ad Herennium* exempla ex iis sumpsisset, qui a nobilium factione interfecti essent, nec quicquam tale posuisset Cicero (cf. G. Calboli, “Introduzione alla inventio” 216–219). Ciceronem autem cum Latinis dicendi Magistris coniunctum non fuisse ipse Corbeill concedit, qui scribat: “I think the many points of resem-

59 Mecum autem fecisse laetor et credidisse Auctorem *ad Herennium* popularis partis fuisse fautorem Aemilium Gabba, Romanarum historiarum cultorem et inuestigatorem principem, summaque praeditum doctrina (“Politica e cultura in Roma”, pp. 269–270 [iterum in: *Esercito e Società*, pp. 187sg.] et Eund., “Rome and Italy”, p. 109), cuius opinionem equidem memorauit, cum Latinos Rhetoras eorumque magistrum Plotium Gallum C. Mari fautores fuisse defendi et cum L. Crassum et Domitium Ahenobarbum, censores, ciuiliu concertationum oblitos non esse contendere, cum edictum suum aduersus nouum Latinorum Magistrorum ludum pronuntiasent (cf. G. Calboli, “L’oratore M. Antonio”, pp. 142–170).

60 Vitauit enim Cicero eodem exemplo ‘maiestatis’ uti quo Cornificius (*Rhet. Her.* I 12,21) usus erat, cf. G. Calboli, “Introduzione alla inventio” 216.

blance between *Rhet. Her.* and the treatise of Cicero (who we know did not study under these rhetores) preclude any substantial political influence”; et item concedat (ad p. 32) exordio et conclusione alterum auctorem ab altero diuersa, quod ad ciuiles concertationes spectaret, sensisse uideri: “the prefaces and epilogues appended to each work express very different views of the author’s intentions in writing and of their relation to their sources”. Quodsi Corbeill statuum seu constitutionum doctrinam et exordiorum considerasset, maiores profecto differentias animaduertisset⁶¹, quamquam excludi non potest, cum libros suos *De inuentione* conscripserit, Ciceronem ad populares nonnihil inclinasse, uel inclinare simulasse, quod ad arma et sanguinem iam uentum esset. Sed nonnullis uocabulis similioribus in primo et altero libro animaduersis, non id prorsus probatur, utrumque opus eodem in ludo natum esse, sed tantum aliquot definitiones similes similibus uocabulis expositas esse, ut *genera causarum* (*Rhet. Her.* I 2,2~*Cic. inu.* 1,7), ut *inuentionem* (*Rhet. Her.* I 2,3~*Cic. inu.* 1,9), ut *narrationem* (*Rhet. Her.* I 9,15~*Cic. inu.* 1,29, cf. Calboli: 1993a, pp. 25–29), quippe quae similes factae isdem prope uocabulis iam exponi consuessent. Quin ego quidem ipse, similitudinibus omnibus consideratis, propius ad eam solutionem perueni, quam iam Ioachim Adamietz (u. supra ad p.18) adumbrauerat, Marci Tulli Libros Rhetoricos, qui ante *Rhetoricam ad Herennium* conscripti sint, seu directe seu indirecte ab Auctore *ad Herennium* aut ab eius doctore quodammodo adhibitos esse, dum Auctoris doctor et Auctor ipse multa et grauiora immutare non dubitant. Quam autem doctrinam utroque in opere inuenias, Rhodo ab insula uenisse credidi neque

61 Antonius Corbeill (p. 34) a recta opinione profectus Ciceronis Libros Rhetoricos, qui sunt de inuentione, ante *Rhetoricam ad C. Herennium* conscriptos esse, non animaduertit ualde haec duo opera inter se differre. Quod ad inuentionem tantum spectat, cum reliquae artis rhetoricae partes a Marco Tullio neglectae sint. Quamquam *inuentio* magni momenti est pars, non sunt et reliquae spernendae, quas nunc memorabo, eundem ordinem secutus, quo sunt in *Rhetorica ad C. Herennium* tractatae: *dispositionem, pronuntiationem, memoriam, elocutionem*. Cum autem Corbeill sentiat eandem doctrinam utroque opere expositam esse (quod est non omnino, sed partim tantum uerum), communem fontem inuestigare Corbeill non intermisit, et ex omnibus quae prolatae sunt explicationes, minus probabilem recepit, id est a communi utriusque magistro ambas confectas esse artes. At constat *Rhetoricae ad Herennium* doctorem non eundem fuisse atque Rhetoricorum Ciceronis librorum, cum omnino aliam Cornifici doctor statuum doctrinam proposuerit, id est ex tribus statibus compositam, atque quattuor statibus comprehensam apud Ciceronem inuenias. Idque Auctor *ad Herennium* scribat a doctore suo effectum esse (*Rhet. Her.* I 11,18 *noster doctor tres putauit esse* (quodsi utriusque operis doctrinam, quod ad status seu constitutiones spectat, conferre uelis, cf. Comm., p.511 n.29)). Praeterea singularis uidetur statuum doctrina, quae ex tribus tantum constet, quae tamen apud M. Antonium, oratorem, et Antonium secutos inuenias, ut Lucia Calboli Montefusco, *La dottrina degli ‘status’*, pp. 200–206, probauit, quae quaestionem quoque soluit, quam ego quidem ipse posueram, “L’oratore M. Antonio”, pp. 133–136, nempe quae *Rhetoricae ad Herennium* constitutiones et quo ordine cum M. Antoni *factum non factum, ius iniuria, bonum malum* (Quint. *inst.* 3,6,45) comparandae sint. Apparet igitur ita iungendas esse constitutiones M. Antoni et *Rhetoricae ad Herennium*, nominibus Graecis seruatis: (1) στοχασμός – *constitutio coniecturalis – factum non factum*; (2) νομικὴ στάσις – *constitutio legitima – bonum malum*; (3) δικαιολογικὴ στάσις – *constitutio iuridicialis – ius iniuria*. Qua de re et quantum hoc sit cum ciuilibus concertationibus coniunctum cf. G. Calboli, “Introduzione alla inventio” 214–221.

intermisi credere, ubi et philosophia et rhetorica et grammatica non modo floruerint, sed etiam in ludos ita introductae sint, ut adolescentulos eas sic Rhodii magistri docerent, uti per uniuersum orbem celebrarentur et Romam in primis uenirent seu iam pridem uenissent. Quam Rhodiam artem credidi a Marco Tullio, quod ad inuentionem pertineret, adhibitam esse (neque uelim negare neque possim, a quodam alio idem effectum esse, qui tamen omnino ignoratur), immutatam autem esse ab Auctore *ad Herennium* eiusque doctore, ipso forsitan in ludo Rhetorum Latinorum. Quod, si non certissime adfirmare ausim, propius mihi tamen uidetur, ut opinor, ad ueritatem accedere.

Ceterum Ciceronem Sullanarum tum fuisse partium oratione dixerim certissime infirmari, quam pro Roscio Amerino Marcus Tullius habuit. Auctorem autem *ad Herennium* exempla uidemus attulisse sua, seu ille ipse struxisset, seu aliunde iam creata aliquantum declamando immutasset. De exemplis autem eligendis eum scripsisse uidemus, id praecipue ut probaret, eos quos reprehenderet, de arte scribere potuisse, ex arte autem non potuisse. Quod Cicero nos docet Hermagorae Temniti uitio dandum esse. Nam id similiter ab utroque, Marco Tullio et Auctore *ad Herennium*, significatum uidemus, etsi solus Auctor regulam, quam posuisset, in exemplis creandis eligendis, secutus esse uideatur. Namque Cicero scripsit, cum Hermagoram Temnitem paulo supra memorasset, eum de arte scribere posse, sed ex arte dicere non posse, cum neminem Auctor *ad Herennium* nominauerit:

Cic. *inu.* 1,8 *oratori minimum est de arte loqui, quod hic [sc. Hermagoras, quem paulo ante laudauit] fecit, multo maximum ex arte dicere, quod eum minime potuisse omnes uidemus (ne uos effugerit, aliis alio loco Ciceronem usum esse notionibus, et cum de Hermagora ut oratore loqueretur, dicendi adhibuisse, non loquendi, notionem, quam distinctionem in Rhet. Her. cecidisse uidemus, cum scribendi, non loquendi notione Auctor usus sit).*

Rhet. Her. IV 3,6 Quia pollicentur artem scribere, exempla proferunt ab iis plerumque, qui artem nescierunt. Tum quis est, qui possit id, quod de arte scripserit, conprobare, nisi aliquid scribat ex arte?

Equidem miror, Antonium Corbeill (“Rhetorical Education in Cicero’s Youth”, p. 35) pudicum non esse, cum hac de re doctissime et luculenter Carolus Barwick (“Vorrede” 311–314, et “Bildungsideal” 20–259) disputauerit, cui et Marx et Koehler (1909) et Kennedy (1963) addendi sunt (quos omnes G. Calboli, 1993a, 42–46, non modo laudauit, sed etiam disputantes induxit), eam fabulam iterum narrare, qua seu false seu pueriliter Auctorem *ad Herennium* se gessisse hariolaretur, quam fabulam miror, et dolens miror, etiam a W. Fortenbaugh, *Aristotle’s Practical Side*, p. 419 adn. 17, receptam esse. Nec satis est. Potius enim quam eam acciperet explicationem, Corbeill suspicatus est exemplorum consuetudinem ex Carminibus Conuiualibus uenisse, quibus ueteres uiri fortes Romani celebrati essent, quod cum obscurissimum manet et obscuritatis, qua uetera Romana carmina obuoluuntur (quae collegit J.B. Pighi, 1958 [= 2007]), particeps est, tum cum Graeca rhetoricorum doctrina minus concinit, eaque praecipue, qua et Marcus Tullius et Cornificius, i.e. Auctor *ad Herennium*, usi

sunt. Noua excogitare nonnumquam iuuat, si modo, quae praesto sunt, non negleximus⁶².

Aliam equidem (1993a, ad p. 45) ingressus sum uiam, qua probarem, si possem, non Graecam modo, sed tantillum Romanam hanc fuisse disputandi rationem, qua tamen Graeca studia et doctrina adhiberi non omnino desinerent. Ea igitur addam, quae 1993a (ad p. 45sq.) scripsi et nunc quoque iterum scriberem: “Per provare con sicurezza ciò [i.e. hanc disputationem de exemplis creandis eligendis aliqua ex parte Romanam esse] sarebbe necessario dimostrare l’esistenza nell’ambiente romano del tempo di una polemica contro Ermagora, non dovuta, quindi, solo alle fonti greche. Ora ciò non è possibile in termini di assoluta certezza, ma vi è, tuttavia, un indizio non trascurabile. L’autore della *Rhet. Her.* esprime come interesse suo, superiore a quello per la retorica, quello per la filosofia (I 1,1; IV 56,69, et cf. quae postea colligemus) e non si tratta sicuramente di un discorso preso dalla fonte. Vi era una polemica dei filosofi contro Ermagora (cf. G. Calboli, *Studi Grammaticali* 232). Cornificio si esprime contro il modo ermagoreo di dare esempi da altri. Non sembra quindi irragionevole collocare nel suo ambiente una polemica contro Ermagora a cui Cornificio (e quindi anche Cicerone) ha preso parte attiva e personale, com’è personale la sua propensione per la filosofia”. Non uepribus omnino liberam ingressus sum uiam – facile concedo –, sed qua tamen probabilem ad exitum perueniri posset.

6. Quae rhetorica doctrina adhibita sit, quidque Auctor ad Herennium, Marci Tulli Libris Rhetoricis, qui sunt de inuentione, comparatis, docuerit.

Hac de re praeter alios egerunt: F. Marx, *Prolegomena* 102–110; G. Herbolzheimer 1926; Adamietz 1960; G. Calboli, 1972: 124–128; 1998a; 2009a; L. Calboli Montefusco 1979; 1986; 1988; 2004a et b; Achard 1989: XXXV–L

Quod ad rhetoricam artem pertinet, cum *Rhetorica ad C. Herennium* conscripta est, rhetorica ars iam ad plenum florem peruenerat. Multum ei Aristoteles tribus suis

62 Th. Nüßlein, p. 330, negauit, Auctorem ad Herennium C. Mari atque popularium fautorem fuisse, quod exempla, quibus haec opinio nitatur, ex ultimis tantum habitis orationibus ducta sint, ut J. von Ungern-Sternberg 1973, demostrauerit. Sed ignorat Nüßlein has orationes ex declamationibus sumpta aut ex declamationum similibus scholis, ut equidem demonstraui (cf. G. Calboli, “Su alcuni frammenti di Cornelio Sisenna” 205–210), quibus orationes pro populari parte habitae ita immutatae essent, ut plebei et C. Mario etiam magis fauere uiderentur. Quod ipse von Ungern Sternberg per litteras mihi missas probauit, quas meo in archiuo seruo, nempe declamationes a se consideratas non esse. At J. von Ungern Sternberg (1973) inter eos ponendus est, qui negant Auctorem popularibus fauisse et (1973: 152) scripsit exempla Auctorem ad Herennium ex orationibus, quae re uera habitae essent, paucis immutatis, sumpsisse. Mecum autem facit, ut iuris peritus, Thomas Masiello 2006, id est Auctorem Cornificium appellatum esse et popularium fautorem fuisse.

rhetoricae libris profuerat, profuerant multum eius discipuli Theophrastus et Praxiphanes et alii, tametsi ii tertiae potissimum artis rhetoricae parti, id est λέξει operam dederunt. Haud parum curae impertitum est rhetoricae ab Hermagora Temnite et a Stoicis, et Rhodo in insula operae multum arti rhetoricae conscribendae ludoque rhetorico constituendo datum est. Magnam enim pecuniam huic operi perficiendo contulerunt Rhodii, qui etiam publicos ludos instituendos curarunt (cf. Della Corte, “Rodi e l’istituzione dei pubblici studi”, pp. 162–172). Pecuniam enim Rhodii a circumstantibus regibus acceperant ipsique frumento mercando collegerant. Cumulatam autem pecuniam tam sapienter ludis instituendis contulerunt, ut ex omnibus regionibus, fluctibus ipsis Rhodum ferentibus, plurimi uenerint, qui doceri uellent.

Docebatur igitur grammatica a Dionysio Thrace, rhetorica a Dionysio ipso, ab Apollonio τῷ μαλακῷ, ab Hermagora Temnite, ab Apollonio Molone et postea a Theodoro, Tiberi Claudii Principis praeceptore⁶³. Philosophia quoque a praeclaris magistris culta est, a Panaetio Stoico, qui tamen saepius Romae quam Rhodi fuit, a Posidonio, Panaeti discipulo, et, ex Peripateticis philosophis ab Eudemo, Aristotelis discipulo, qui etiam editionem Aristotelis curauit, et a Prassitele. De utroque philosopho praesto sunt nobis optima studia, uolumen, quod curarunt Guilelmus W. Fortenbaugh et Stephanus Bodnár (Eds.), *Eudemus of Rhodes* 2002, ex quibus cf. praecipue H.B. Gottschalk, “Eudemus and the Peripatos”, pp. 26–37), et noua Praxiphanis *Fragmentorum cum Commentario* editio, quam Elisabeth Matelli 2012, omnibus, quae ad hunc philosophum pertinerent, collectis, diligentissime publicauit. H.B. Gottschalk inuestigauit, quomodo Aristotelis doctrina publicata sit et in ludo adulescentuli eam didicerit. At rhetoricae praecipue et grammaticae Rhodii, nempe Peripatetici maxime et Stoici philosophi, operam dederunt. Quae enim exornationes uerborum et sententiarum, id est figurae et tropi, in quarto libro *Rhetoricae ad Herennium* inueniuntur (IV 13,19–55,68), eodem prope ordine expositae sunt, quo in Aristotelis libro III *Rhetoricae et Poetica* expositas inuenias (cf. G. Calboli, “From Aristotelian λέξις to *elocutio*” 47–80), ut equidem ea repetere, quae iam (1998) scripsi, hodie quoque non dubitauerim: “the treatment of figures and tropes in the *Rhetorica ad Herennium* shows in every respect a connexion with the Peripatetic doctrine of figures and tropes and confirms the link with the Rhodian school of rhetoric which is demonstrated by many other elements. It gives us a first draft of a doctrine which was further developed as time passed. This draft, however, was already a complete system which to a large extent maintained the order which we find in Aristotle, if we take into account at the same time his *Poetics* and *Rhetoric*” (Calboli, “From Aristotelian λέξις to *elocutio*” 80). Quae autem Rhodo in insula docerentur, ea etiam in

63 Vtrum *Ars Grammatica*, cuius pars ad nos peruenit, a Dionysio ipso composita sit necne diu multumque disputatum est, cf. G. Calboli 2013. Ex omnibus, qui huic rei operam dederunt digni sunt, qui memorentur, ne multos laudem, V. Di Benedetto 1958; 1959; F. Ildefonse 1997; M. Callipo 2011. Di Benedetto negauit Dionysio hanc *Artem* esse tribuendam, eum est Ildefonse secuta, defenderunt a Dionysio conscriptam esse praeter alios M. Callipo 2011 et G. Calboli 2013. Quod partinet ad Theodorum, cf. F. Woerther 2013 et G. Calboli 2016c.

Rhetoricam ad C. Herennium et Ciceronis Libros Rhetoricos introducta esse, id Marci Tulli uerbis ipsis probatur, quae in ‘*Brutus*’ 307; 312; 316, leguntur, nempe Molonis scholas a Cicerone auditas esse Romae, eodemque tempore, anno 87, cum Larisseo Philoni Romae Marcus Tullius se totum, ut ipse scribit, tradidisset (*Brut.* 306sq. *cum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset Romamque uenisset, totum ei me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus [...]. eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae dedimus operam. Rursum autem Molonem Marcus Tullius audiuit, cum Rhodo Romam Molon iterum uenit* (*Brut.* 306sq.).

At Gudeman (“Ciceros *Brutus*” 574–576) memoratum Molonem in ‘*Brutus*’ negauit, nam a Tacito, *dial.* 30, Molonem idcirco memoratum non esse contendit, quod, cum Cicero huic Bruti loco manum iterum posuit, hunc locum immutauerit, duas igitur exstitisse huius Bruti loci traditiones, nostram eam esse, quam priorem Cicero confecisset, in qua bis Molonem a Cicerone esse auditum scriptum esset, Taciti uero alteram, in qua Molonem auditum non exstaret. Sed Gudeman constat imaginose fuisse, et ut Taciti silentium explicemus, nihil est necesse, Ciceronem priore scriptura seu mentitum seu oblitum, quid re uera accidisset, credamus. Optimo iure igitur argumentum e silentio praetereundum putauit. Hac de re egerunt H. Malcovati, *In Apparatu Bruti editionis*, ad p. 95, et Douglas, *Commentary*, p. 221, quem sequor.

Nunc restat, ut *Rhetoricae ad C. Herennium* totam materiam proponam, quod quamquam difficile fuit, tamen cum ab aliis iam factitatum uidissem, nempe a Caplan (pp. xlv–lviii), et a me ipso, Calboli 1993a, pp. 54–74, equidem addere non recusauit, cum praesertim hanc materiam et in Notis a Friedhelmo Müller (pp. 187–240) tractatam uidissem et praecipue in *Commentario* ad Artem Rhetoricam Consulti Fortunatiani, quem Lucia Calboli Montefusco editioni suae addidit, pp. 249–485. Formam igitur longioris descriptionis postea in *Analisi del Testo* inuenias. Nunc brevioram proponam.

In *Rhetorica ad C. Herennium* ab Aristotele initium, nempe a tribus partibus, in quas genera causarum diuisa sunt: *genera causarum* (τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, Arist. *rhet.* I 1358b 6) (1,2,2): *demonstratiuum* (ἐπιδεικτικόν) *deliberatiuum* (συμβουλευτικόν), *iudiciale* (δικανικόν), cf. hac de re L. Calboli Montefusco, 1979: pp. 258–265). Dein exponuntur *oratoris officia* (ἔργα τοῦ ῥήτορος) (I 1,3), quae sunt: *inuentio* (εὑρεσις), *dispositio* (τάξις), *elocutio* (λέξις), *memoria* (μνήμη), *pronuntiatio* (ὑπόκρισις), Calboli Montefusco, 1979: pp. 265–268. In sex autem partes *inuentio* diuisa est, quae *partes orationis* appellantur: *exordium* (προοίμιον), *narratio* (διήγησις), *diuisio* (διαίρεσις), *confirmatio* et *confutatio* (quae partes ambae connexae etiam *πίστεις* uocantur), *conclusio* (ἐπίλογος), cf. Calboli Montefusco, *Commento*, pp. 362–365; Eand., *Exordium* 1–104; Eand., “La funzione della *partitio* nel discorso oratorio” 69–85. Quae usque ad hunc locum exposita est doctrina, non alia est atque in Ciceronis Libris Rhetoricis inuenitur, sed, hoc loco absoluto, prima occurrit differentia, quae ad exordium pertinet. Oportet enim cum diuersis causarum generibus exordia congruant. Sunt autem causarum genera in *Rhetorica ad C. Herennium* (I

3,5) quattuor, scilicet *honestum* (ἔνδοξον), *turpe* (παράδοξον), *dubium* (ἀμφίδοξον), *humile* (ἄδοξον), at quinque inuenias in Cicerone, *De inuentione* (1,20), nempe *honestum*, *admirabile*, *humile*, *anceps*, *obscurum*. *Exordium* autem, seu initium orationis, in duo exordiorum genera partitur, ut, qui audit, *attentus*, *docilis* (id est qui doceri se studeat), *beniuolus* efficiatur (*Rhet. Her.* I 4,6 e Cic. *inu.* 1,20), duo autem *genera exordiorum* distinguuntur, *principium*, per quod auditor protinus beniuolus aut docilis aut attentus perficitur, *insinuatio*, per quam orator dissimulatione et circumitione obscure auditoris animum subit, quam tum Auctor *ad Herennium* adhibendam putat, cum causa in genere turpi uersabitur aut quiddam auditori iam persuasum ab iis uidebitur esse, qui ante contra dixerunt, aut si ‘*defessus eos audiendo erit, qui ante dixerunt*’ (*Rhet. Her.* I 6,9). Hoc uero loco quae doctrina in *Rhetorica ad Herennium* occurrit, eam differre uidemus ab ea, quam in Marci Tulli libris, qui sunt de inuentione (1,23), inuenimus: qua tum docemur oratori insinuationem adhibendam esse, cum auditores uehementer abalienati erunt; quodsi non omnino infesti auditores erunt, principio, non insinuatione uti licebit (1,21). Quae secunda pars, id est si auditores uehementer abalienati erunt, cum occurrerit, ad insinuationem confugiendum esse Marcus Tullius putat. Esse autem eos, qui audient, uehementer abalienatos dicit, cum genus causae turpe sit aut cum auditor iam fessus sit audiendo aut sit ei quiddam ab aduersariis iam persuasum.

Differunt igitur, quae Marcus Tullius docet, ab iis, quae Auctor *ad C. Herennium* refert, quam differentiam Lucia Calboli Montefusco attente tractauit et explicare conata est (*Exordium* 16sq.). Narrat enim Auctor *ad Herennium* (I 9,16) insinuationis doctrinam a se esse nouatam: *Adhuc quae dicta sunt arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quia de insinuationibus noua excogitauimus, quod eam soli nos praeter ceteros in tria tempora diuisimus*⁶⁴. Genera causarum ab Hermagora Temnite inuenta esse communis fuit opinio, sed Lucia contendit posteriorem hanc doctrinam fuisse uideri et negauit ab Hermagora principium esse ab insinuatione distinctum⁶⁵. Immutauit autem hanc doctrinam rhetor quidam – ut Lucia suspicatur –, qui post Hermagoram quintum genus addidit appellauitque *obscurum* (δυσπαρακολούθητον a Quintiliano, *inst.* 4,1,40, uocatur) et genus παράδοξον ita dilatauit, ut non turpem modo causam significaret, sed omnem causam comprehenderet, in qua auditor infestus esse posset oratori. Ita omnes tres causas comprehensas esse, in quibus infestus esset auditor et insinuatione opus esset. Hanc autem doctrinam in communem fontem Ciceronis et Auctoris uenisse (quem Ciceronem ipsum esse potuisse ego quidem dicere ausim), at Auctorem *ad Herennium* hanc Ciceronis doctrinam non recepisse, quintum genus non addidisse, neque ita potuisse, quinto genere absente, genus tur-

64 Cum *praeter ceteros* dicat, Auctor uidetur Ciceronem et eius fontem, seu Graecum seu Latinum considerasse. Plures rhetoras fuisse, qui de exordio scripserunt, probabile non uidetur. Sed fieri potest, ut quae doctrina apud Ciceronis fontem proferretur, tamquam communis proferretur omnium artium scriptorum.

65 Nihil addidit Frederica Woerther: Hermagorae Maioris, Fr. 6, p. 4 (*Tac. dial.* 19,3), *Commentaire*, pp. 64–66.

pe cum eo genere conglutinare, in quo infestus esset auditor: non erat enim tale genus praesto, ut in Marci Tulli doctrina. Coactum esse igitur putat Lucia Auctorem *ad Herennium* insinuationem a causarum generibus quodammodo segregare et nouam facere insinuationis doctrinam. Quam tamen doctrinam apud Ciceronem inuenimus, eam et a Quintiliano, *inst.* 4,1,42–48, et a Fortunatiano, *rhet.* 2,15 Calb. Mont., et a Victorino (198,28sq. Halm; 63,15sq. Riesenweber) adhibitam esse uidemus. Nihil hac de re in noua Hermagorae editione, quam curauit Frederica Woerther, inuenias, cf. *Commentaire*, pp. 64–66.

Post *exordium* tractatae sunt *narratio* et *partitio* (I 8,12–10,17), cf. L. Calboli Montefusco (*Exordium* 36–73) et Eand. (“La funzione della *partitio*” 69–78), quae non solum Ciceronis doctrinam et Auctoris *ad Herennium* exposuit, sed Graecos quoque fontes et secutos auctores considerauit. Haec excipiuntur *confirmatione* et *confutatione*, et totius inuentionis maximi momenti parte, id est *constitutionum* seu *statuum doctrina*. Hic *Rhetorica ad Herennium* a Ciceronis libris de inuentione nimium quantum differt, et ad oratoris M. Antoni doctrinam et eorum, qui Antonium secuti sunt, accedit.

Statuum doctrina iam ante Hermagoram Temnitem inuenta est, qui translationem tantum (Graece μετάληψιν) addidisse uidetur. Quadam in tabula, qui status Hermagorae fuerint, describuntur a L. Calboli Montefusco, *La dottrina degli ‘status’* 35, et G. Calboli 1993a, p. 221, qua in tabula etiam *Rhetoricae ad Herennium* et Ciceronis qui status fuerint depinguntur. Neque ab Auctore *ad Herennium* constitutiones tribus omnibus artis rhetoricae generibus adplicantur, sed generi tantum iudiciali, cum Marcus Tullius libris, qui sunt de inuentione, ad omnia genera adcommodari posse credat, id est ad iudiciale, demonstratiuum, deliberatiuum. Hanc doctrinam ad omnia tria genera pertinere Cicero putat, qui, re uera subtilius hanc quaestionem soluit: “*at deliberatiua causa simul ex eadem parte eodem in genere et coniecturalem et generalem et definitiuam et translatiuam solet habere constitutionem et unam aliquam et plures nonnumquam. ergo ipsa neque constitutio est nec pars constitutionis. idem in demonstratione solet usu uenire. genera igitur, ut ante diximus, haec causarum putanda sunt, non partes alicuius constitutionis*”, Cic. *inu.* 1,14. Quod autem non status modo, qui ante Hermagoram instituti sunt, ad tria genera sunt adplicati, sed etiam *translatio* adplicata est, putat Lucia (*La dottrina degli ‘status’* 38) id probari, et Hermagorae doctrinam et eam, quae ante Hermagoram elaborata esset, a Marco Tullio (cf. *infra de orat.* 2, 110) una simul adhibitas esse.

Itaque, cum apud Ciceronem doctrinam inuenias, quae ex Academia et Hermagora Temnite simul, commistione quadam effecta, constet, singularem uidemus apud Auctorem *ad Herennium* doctrinam constitutionum reperiri, quae apud M. Antonium tantum et ‘Antonium secutos’ occurrit quacum horum solum doctrina comparari potest (Quint. *inst.* 3,6,45). Haec autem doctrina in peripatetica quadam et academica schola creata esse uidetur, in qua et scriptum et sententia, et contrariae leges et ambiguitas considerata sunt. Antoni autem doctrinam et Cicero (*de orat.* 2,110) et Quintilianus (*inst.* 3,6,45) descripserunt. Cicero tres Antoni constitutiones tribus

formulis comprehendit, nempe *quid factum sit, quale sit, quid uocetur*, quae formulae cum statibus ita comparari possunt, ut sint *coniectura (quid factum sit), qualitas (quale sit), definitio (quid uocetur)*. Quin etiam Quintilianus Antoni uerba ipsa refert, cum scribat: *tres fecit et M. Antonius his quidem uerbis: 'paucae res sunt, quibus ex rebus omnes orationes nascuntur, factum non factum, ius iniuria, bonum malum'. [...] secuti Antonium apertius uoluerunt eosdem status distinguere, itaque dixerunt coniecturalem, legalem, iuridicalem*. Quam autem tripartitionem Antonius persecutus est, eandem in *Rhetorica ad Herennium* inuenias. At apparet non easdem formulas a Cicerone cum Antoni statibus comparari posse atque Quintilianus contulerit, sed falsam Lucia Calboli Montefusco (*La dottrina degli 'status' 203*) probauit differentiam apparere, quae re uera nulla sit: esse enim nos docuit Ciceronis et Quintiliani formulas ita comparandas, ut tamquam paria paribus *factum non factum coniecturae* respondeat (Graeci *στοχασμὸν* uocant), *ius iniuria qualitati* (quae est Graece *ποιότης*), *bonum malum* definitioni (Graece *ὄρος* appellatur). Ita autem non modo differentiam exstitisse nullam monstratur inter eam constitutionum doctrinam, quam Cicero Antonio adscripserit et eam, quam Quintilianus, sed Antoni doctrinam cum Peripatetica-Academica concinere probatur et, quod est maioris momenti, eandem in *Rhetorica ad C. Herennium* constitutionum doctrinam inueniri quam M. Antonius admiserit. Simul autem demonstratur aliam constitutionum doctrinam a Marco Tullio in libris rhetoricis, qui sunt *de inuentione*, aliam ab Auctore *ad Herennium* adhibitam esse. Ciceronis autem doctrinam ab Hermagora manasse, aliam esse *Rhetoricae ad C. Herennium*, origine explicata, nempe non aliam quam Peripateticam et Academicam fuisse. Nec minus tamen probatur rhetoricam artem, quae ex Graecia uenisset, cum philosophia atque cum iuris scientia coniunctam fuisse, quae coniunctio post Ciceronem et Sulpicium Rufum non ita strenue frequentata esse uideatur. Quod autem ad constitutionum doctrinam attinet, quam usurpata scilicet atque post Ciceronem et Auctorem elaborata sit, cf. L. Calboli Montefusco: *Con. Fortunatiani Ars Rhetorica*, p. 299–340; Uwe Wesel, *Rhetorische Statuslehre* 1967; Malcolm Heath, “The substructure of the *stasis*-theory” 114–129; Eund., *Hermogenes on Issues* 18–27; 61–155.

Statuum doctrina et huius doctrinae usus et proprietates, quae sint, extremo libro primo (I 10,18–17,27) et libri secundi principio (II 2,3–17,26) comprehenduntur. Dein argumentationes tractantur, quarum prima *argumentatio absolutissima et perfectissima* est (II 18,28–19,30). Haec ex quinque partibus constat, quae sunt *propositio, ratio, rationis confirmatio, exornatio, complexio*. Haec autem *partitio* infra (II 20,32–29,46) ad *argumentationem uitiosam* explicandam ita adhibetur, ut *expositionis (=propositionis) uitiosae* quinque casus exstent, quinque *rationis uitiosae*, quinque *uitiosae exornationis*, atque *confirmatae uitiosae rationis* admodum uiginti duo casus memorentur. *Complexionis* contra *uitiosae* tres tantum species attentius explicantur, nempe: (1) *quae non, quod quidque primum dictum est, primum complectitur*, (2) *quae non breuiter concluditur*, (3) *quae non ex enumeratione certum et constans aliquid reliquit*. His autem rebus *Rhetorica ad Herennium* et Ciceronis Libri Rhetorici

(1,58sq.; 61; 67–69) generatim tantum conueniunt, singillatim ex diuersis fontibus manasse uidentur, ut nuper L. Calboli Montefusco, “Omnis autem argumentatio” 23f., probauit, cum prius Auctor *ad Herennium* Hermagorae doctrinam breuiorem fecisse putaretur (cf. quae Calboli 1993a: 239–251, disputauit; L. Calboli Montefusco: Fortunatiani *Ars Rhet.*, pp. 415sq.).

Alter autem liber *conclusionem* clauditur (II 30,47–31,50), quae in *enumerationem*, *amplificationem*, *commiserationem* partitur: *amplificationis* postea decem *loci communes* proferuntur, qui idem, nulla immutatione addita, etiam apud Ciceronem, *inu.* 1,101–109, occurrunt, qua similitudine K. Aulitzky, “Apsines” 31, et G. Herbolzheimer, “Ciceros rhetorici libri” 421–424, et J. Adamietz, *Ciceros de inuentione* 54, utuntur, ut Ciceronem probent et Auctorem *ad Herennium* communi e libro sumpsisse (qui Hermagorae Temnitis fuisse uidetur et a Cicerone fideliter adhibitus esse), tametsi apud Ciceronem quindecim locos communes, apud Auctorem *ad Herennium*, extremis quinque omissis, decem tantum inuenias (cf., Calboli 1993a: 252, et L. Calboli Montefusco, ‘*Exordium*’ 97–104).

Libro tertio *genus deliberatiuum* et *demonstratiuum* tractantur et tres ex reliquis quattuor artis rhetoricae partibus, nempe *dispositio*, *pronuntiatio*, *memoria*. *Elocutio* autem in quartum librum translata est, ordine consueto, quo tertiam stationem *elocutio* obtineret, immutato. Quartus itaque liber longissimus est factus de quattuor ac prope septuaginta (69) paragraphos comprehendit. Tertio igitur libro *deliberationes* considerantur, quae ad utilitatem pertinent, cum *utilitas*, quae in administranda re publica coli soleat, in duas partes diuidatur, scilicet *tutam* et *honestam* (III 2,3). *Tutam* consequimur aut per *uim* aut per *dolum*. *Vis* decernitur per *exercitus*, *classes*, *arma*, *tormenta*, *euocationes hominum et alias huiusmodi res*. Quem *dolum* appellauimus, is consumitur in *pecunia*, *pollicitatione*, *dissimulatione*, *maturatione*, *mentitione*, et in *ceteris rebus*, per quas dolus efficitur. *Honesta* autem *utilitas* in *rectum* et *laudabile* diuiditur, *laudabile* conficit *honestam* et praesentem et consequentem commemorationem, *rectum* diuiditur in *prudentiam* (φρόνησις), *iustitiam* (δικαιοσύνην), *fortitudinem* (ἀνδρείαν), *modestiam* (σωφροσύνην). Quam quadrigam uirtutum appellatam esse et iam a Platone (*Protag.* 330b; 349b; *Meno* 88a; *Phaed.* 69b–c; *rep.* 427e al.) et ab Aristotele (*Eth. Nic.* 1178b 10–15) adhibitam esse nouimus atque a Stoicis postea: *SVF* III 9,24–28 (a Chrysippo); *SVF* III 185,2–16 (a Chrysippo) et a Christianis frequentatam esse inter omnes constat, cf. A.S. Pease: M. Tulli Ciceronis *De natura deorum*, pp. 1035–1040; quod ad Christianos attinet cf. S. Mähl, *Quadriga Virtutum* 7–34 (ubi et Carolingi auctores considerati sunt, pp. 35sq.). Haec quattuor uirtutes etiam a Cicerone (*inu.* 2,159–164) frequentatae sunt et ab Augustino (*diuers. quaest.* 31,1) ex Cicerone sumptae, cf. L. Calboli Montefusco, “Cicero and the Division of Virtue” 48–62; F.L. Müller, *Anmerkungen*, p. 204. Dein uirtutes amplificari (aut imminui) potuerunt, cf. L. Calboli Montefusco, “Stylistic and argumentative function of rhetorical *amplificatio*” 2004.

Deliberatiuum quoque genus non aliter atque iudiciale in sex partes diuiditur, *exordium*, *narrationem*, *diuisionem*, *confirmationem*, *confutationem*, *conclusionem* (III 4,7–5,9). Deinde demonstratiuum genus exponitur, id est, quo modo laus aut uituperata

tio comparetur. Quae ambae rerum externarum aut corporis aut animi esse possunt, si sint animi, ut quadriga uirtutum, id est, *prudencia, iustitia, firmitudo, modestia* adhiberi possunt (cf. *Commentarium*, pp. 600 n. 10; 606 n. 24. F.L. Müller, *Anmerkungen*, p. 205). Etiam in laude sex partes orationis distinguuntur, uidelicet *exordium, narratio, diuisio, confirmatio, confutatio, conclusio* (III 6,11–8,15). Ita absoluta est *inuentio*, quae in tribus generibus rhetoricae occurrit, iudiciali, demonstratiuo, deliberatiuo, et Auctor ad *dispositionem* explicandam se uertere potest. *Dispositionis* autem duo genera sunt, (1) genus *ab institutione artis* et (2) genus *ad casum temporis adcommodatam* (III 9,16–10,18).

Post diuisionem auctor *pronuntiationem* (ὑπόκρισιν) eadem ratione ita explicauit, ut partes distingueret, ex quibus pronuntiatio constaret. Itaque *uocis figuram* primum considerandam discimus, quam ipsam in partes et partium partes auctor partitur, id est in *magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem*, ex quibus *mollitudo* tribus efficiatur, nempe *sermone* (qui inter plures habeatur), *contentione* (quae non modo habeatur, sed concertatione quadam habeatur), *amplificatione* (quae non modo habeatur, sed magna uoce habeatur). Nec satis est, *sermo* enim etiam in *dignitatem, demonstrationem, narrationem, iocationem* diuiditur, *contentio* in *continuationem et distributionem, amplificatio* denique in *cohortationem et conquestionem* (III 11,19–13,24). Hic autem Ciceronis Libri Rhetorici desunt, quippe quibus *inuentio* sola doceatur, sed cf. L. Calboli Montefusco: Fortunatiani *Ars Rhetorica*, pp. 475sg.; 479–485; G. Calboli 1993a: 263–267; Eund., “Oratore senza microfono” 23–56 (opera quoque memorantur, quibus his de rebus actum est).

Memoriā tertius liber concluditur (III 16,28–23,39), quae appellatur *thesaurus inuentorum atque omnium partium rhetoricae custos* (III 16,28). Duos autem esse memorias scribit Auctor, *naturalem* unam, alteram *artificialem*. Secunda modo consideratur, memoriae arte quadam instituta, quam ad conseruandam loci constituuntur et exempla proferuntur. Vna simul cum locis et *imagines* (εἰκόναί), quae, similitudine quadam inter res et uerba instituta, adhibentur (cf. G. Calboli 1993a: 267–272; L. Calboli Montefusco: Fortunatiani *Ars Rhet.* pp. 470–474; F.L. Müller, *Kritische Gedanken zur antiken Mnemotechnik* 11–104).

Quartus liber totus est de *elocutione*, quae λέξις Graece uocatur, et disputatione aperitur, utrum doctor ex poetis aut scriptoribus exempla sumere possit an ei sint exempla quoque struenda, ne ex quo alio pendere uideatur. Auctor autem alteram in sententiam ire non dubitat, qui sentiat doctori non definitiones tantum, sed exempla quoque comparanda esse. Haec uero disputatio aduersus Hermagoram Temnitem habita esse uidetur, qui rhetoricam artem tantum docuisset, sed oratoriam non frequentasset et ideo de arte loqui sciret, nesciret dicere ex arte. Κανών igitur quidam Romanorum oratorum proponitur (IV 5,7), quo nouem oratores comprehenduntur: *Cato, Gracchi (2), Laelius, Scipio, Galba, Porcina, Crassus, Antonius*. Exemplorum igitur quaestionem primum libro quarto instructam esse uidemus (IV 1,1):

Rhet. Her. IV 1,1 Quoniam in hoc libro, Herenni, de elocutione conscripsimus et, quibus in rebus opus fuit exemplis uti, nostris exemplis usi sumus et id fecimus praeter consuetudinem

Graecorum, qui de hac re scripserunt, necessario faciendum est, ut paucis rationem nostri consilii demus.

Mentitum autem auctorem esse Marx, *Prolegomena* 114, accusauit, qui exempla ex Graecis sumere ueritus non sit. At hanc accusationem Caplan, *Introduction* xxxi sq., dissoluit, qui contendit tamquam sua auctorem ea exempla existimare potuisse, quae ex Graecis in Latinum uertisset et nonnihil immutasset. Cui excusationi equidem addidi (in *Introduzione* ad editionem 1969 (1993a), ad pp. 46–50), exornationum, id est figurarum doctrinam ab Auctore una simul cum exemplis elaboratam esse uideri, cum exempla, per declamationes ad definitiones adiecta, ipso in ludo et schola instructa et declamata sint. Hanc autem rationem toto fortasse opere in eligendis addendisque exemplis frequentatam esse, sed hoc magis quarto in libro euenisse, quo haec ipsa res in disputationem uenisset. Non posse tamen exempla a declamationibus in ludo fortasse habitis seiungi, quarum uestigia firmiter impressa in *Rhetorica ad C. Herennium* non deessent: exstant enim sex suasoriarum exempla, quae ex rebus gestis aut ex uita sint sumptae, eiusdem generis, quae nempe ex rebus gestis et ex uita sumptae sint, controuersiarum octo, quae uero totae fictae esse et ex Graecia uenisse uideantur, controuersiarum altera octo (cf. F. Marx, *Prolegomena* 102–110; G. Calboli, “L’oratore M. Antonio” 124–128). Summam faciunt ex suasoriis et controuersiis uiginti duarum, tot occurrunt declamationum argumenta et exempla in *Rhetorica ad C. Herennium*, ubi primam declamationum seriem de Graecis et Romanis auctoribus inuenias, quoniam Graecas declamationes habitas esse non ignoramus, sed argumenta non ante Lucianum nouimus. Sunt igitur Romana declamationum argumenta prima, et de Romanis ea, quae in *Rhetorica ad C. Herennium* reperias, profecto omnium prima⁶⁶. Dignae sunt igitur, quae diligentius memorentur, et eo magis cum et Fridericus Marx et ego quidem ipse locis supra laudatis numerauerimus:

Suasoriarum argumenta ex rebus gestis aut ex uita sumpta:

- 1) [Deliberat senatus] Kartago tollenda an relinquenda uideatur (*Rhet. Her.* III 2,2; Cic. *inu.* 1,11; 1,17).
- 2) ut si Hannibal consultet, quom ex Italia Kartaginem arcessatur, an in Italia remaneat, an domum redeat, an in Aegyptum profectus occupet Alexandriam (*Rhet. Her.* III 2,2).

66 Cf. G. Calboli, “Le declamazioni tra retorica, diritto, letteratura e logica”, p. 30; D.A. Russell, *Greek Declamation*, pp. 3–9: Graecae Declamationes iam Demosthenis annis Athenis natae esse uidentur, sed nullae ad nos peruenerunt. Quae primae ad nos peruenerunt, omnes concedunt eas esse, quas Lucianus saec. II p.Ch.r.n. composuit. At Russell, *Greek Declamations*, p. 107, memorauit Berolinensi papyro (P. Berol. 9781, ed. K. Kunst (*Berl. Klassikertexte* VII, 1923), saec. III a.Ch.r.n.) defensionem quandam traditam esse patronorum quattuor, quae cum Demosthenis oratione aduersus Leptinem connexa sit et declamationis simillima sit. Nicola autem Hömke, *Gesetzt den Fall*, pp. 12–21, iure admonuit iam Gorgiae ‘Palamedis Defensionem’ et ‘Helenae Encomium’ tamquam declamationes iudicari posse.

- 3) ut si deliberet senatus, captiuos ab hostibus redimat an non (*Rhet. Her.* III 2,2; Cic. *de orat.* 3,109).
- 4) in deliberatione eorum qui a Poeno circumsessi deliberant, quid agant (*Rhet. Her.* III 3,8; cf. Cic. *inu.* 2,171).
- 5) ut si deliberet senatus, soluatne legibus Scipionem, ut eum liceat ante tempus consulem fieri (*Rhet. Her.* III 2,2).
- 6) ut si deliberet senatus bello Italico, sociis ciuitatem det an non (*Rhet. Her.* III 2,2).

Controuersiarum argumenta ex rebus gestis et ex uita sumpta:

- 1) Accusatur Scipio Nasica quod sua manu Ti. Graccum interfecerit (*Rhet. Her.* IV 55,68).
- 2) Defenditur uirgo Vestalis crimine incesti accusata apud L. Cassium quaesitorem (*Rhet. Her.* IV 35,47).
- 3) C. Popilius, cum a Gallis obsideretur neque fugere ullo modo posset, uenit cum hostium ducibus in conlocutionem; ita discessit, ut impedimenta relinqueret, exercitum educeret. Satius esse duxit amittere impedimenta quam exercitum. <Exercitum> eduxit, impedimenta reliquit: arcessitur maiestatis (*Rhet. Her.* I 15,25, cf. etiam *Rhet. Her.* IV 24,34, et Cic. *inu.* 2,72).
- 4) [Accusatur] Caepio ad tribunos plebis de exercitus amissione (*Rhet. Her.* I 14,24; cf. Cic. *de orat.* 2,124).
- 5) Malleolus iudicatus est matrem necasse (*Rhet. Her.* I 13, 23, cf. Cic. *inu.* 2,148).
- 6) Controuersia de Caepione maiestatis reo ex tumultu Saturnini facto anno 654/100 (*Rhet. Her.* I 12,21; II 12,17; IV 25,35).
- 7) ut si accusetur is, qui Publium Sulpicium se fateatur occidisse, et id iussu consulum defendat factum (*Rhet. Her.* I 15,25; cf. IV 14,20; IV 24,33; IV 28,38; IV 34,45; IV 52,65).
- 8) Augur quidam damnatus de pecuniis repetundis in demortui locum nominauit; petitur ab eo multa (*Rhet. Her.* I 11,20).

Controuersiarum argumenta ficta et ex Graecia ducta:

- 1) 'heres meus uxori rneae XXX pondo uasorum argenteorum dato, quae uolet' (*Rhet. Her.* I 12,20; cf. Cic. *inu.* 2,116, et iam Lucil. 519–520 Marx).
- 2) Ajax in silua, postquam rescit, quae fecisset per insaniam, gladio incubuit. Vlixes interuenit, occisum conspicatur, corpore telum cruentum educit. Teucer interuenit, fratrem occisum, inimicum fratris cum gladio cruento uidet: capitis arcessit (*Rhet. Her.* I 11,18, cf. etiam II 19,28–19,30, et Cic. *inu.* 1,11; 1,92).
- 3) si lex sit, quae iubeat eos, qui propter tempestatem nauem reliquerint, omnia perdere, eorum nauem ceteraque esse, si nauis conseruata sit, qui remanserunt in nauis. Magnitudine tempestatem omnes perterriti nauem reliquerunt – in scapham conscenderunt – praeter unum aegrotum: is propter morbum exire et fugere non potuit. Casu et fortuitu nauis in portum incolumis delata est; illam

- aegrotus possedit. Nauem petit ille cuius fuerat (*Rhet. Her.* I 11,19, cf. Cic. *inu.* 2,153; Fortun. *rhet.* 1,27 Calb. Mont.; Hermog. *stat.* 41,5 sqq. Rabe).
- 4) Si quis peculatus accusatur, quod uasa argentea publica de loco priuato dicatur sustulisse, possit dicere, cum definitione sit usus, quid sit furtum, quid peculatus, secum furti agi, non peculatus oportere (*Rhet. Her.* I 12,22; cf. Cic. *inu.* 1,11 si qui sacrum ex priuato surripuerit utrum fur an sacrilegus sit iudicandus; Arist. *rhet.* I 1374a 1 sqq.; Hermog. *stat.* 37,8 sqq. Rabe; Sopater, *RhG* VIII 102 Walz, pp. 34–39 Weißenberger).
 - 5) Mimus quidam nominatim Accium poetam compellauit in scaena. Cum eo Accius iniuriarum agit (*Rhet. Her.* I 14,24; cf. Hermog. *stat.* 88,12–14 Rabe ὀνομαστί μὴ κωμῳδεῖν ὁ νόμος ἐκώλυσεν. αὐτοπροσώπους τις εἰσάγων τοὺς κωμῳδομένους ὑπάγεται τῷ νόμῳ. Sopater, *RhG* VIII 383 Walz; M. Weißenberger 2010: 244).
 - 6) ut ille, qui de eo seruo, qui dominum occiderat, supplicium sumpsit, cui frater esset, antequam tabulas testamenti aperuit, cum is seruus testamento manumisus esset (*Rhet. Her.* I 14,24; cf. Quint. *inst.* 7,4,14).
 - 7) ut ille, qui ad diem comneatus non uenit, quod aquae uias interclusissent (*Rhet. Her.* I 14,24; cf. Cic. *inu.* 2,96; Quint. *inst.* 7,4,14).
 - 8) ut Orestes, cum se defendit in matrem conferens crimen (*Rhet. Her.* I 15,25; I 10,17; I 16,26; cf. Cic. *inu.* 1,18; 2,96; Quint. *inst.* 7,4,8).

Nouam autem explicationem, cur Auctor asseuerauerit, sua se sibi exempla peperisse, Antonius Corbeill attulit (“Rhetorical Education in Cicero’s Youth”, pp. 42–45), qui priorem suam disputationem excipiens (“Education in the Roman Republic”, pp. 263–266) hunc usum, nempe ut tua exempla tute ipse parias, ex carminibus conuiualibus ductum esse contendit, ex iis scilicet carminibus conuiualibus, quae Marcus Tullius (*Brut.* 75) a M. Catone cognita et in *Originibus* memorata esse scripserit⁶⁷. Quae conuiuia ex Graecia ducta et Romana facta esse, quippe quae essent “the Romanization of a Hellenic sympotic tradition”. At dolet ex his carminibus, in conuiuiis habitis, exstare iam nullum neque ullum nexum inter scholas et haec carmina institui posse. Quo enim Quintiliani loco haec opinio confirmari posset (*inst.* 1,10,26), eo nihil simile esse significatum apparet neque alia apparet simplicitate totum locum esse intellectum. Oportet igitur eius admiremur intellegendi nimiam facilitatem, qui scribere ueritus non sit: “Quintilian seems to allude to the practice in his treatise

67 Cf. M. Chassignet: Caton, *Les Origines*, p. 54. Ad Bruti locum addas *Tusc.* 4,3 Grauiissimus auctor in *Originibus* dixit Cato morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum uiuorum laudes atque uirtutes. At hunc morem Martina Chassignet (p. 54), H. Dahlmann secuta, putauit ex Attica uenisse et scripsit: “On a donc admis que Caton, dans sa reconstruction des mœurs des anciens temps, a attribué ici aux vieux Romains une coutume en honneur dans les παρτοίνοι ᾠδαί des hétéries de l’aristocratie attique du VIe et Ve siècles”, cf. H. Dahlmann, “Zur Überlieferung über die «altrömischen Tafellieder»”, pp. 1196sq. De his egit Dicaearchus opere, quod inscribitur Περὶ μουσικῶν ἀγῶνων (frgg. 88–89 Wehrli). Quae conuiuia uix possunt cum iis comparari, de quibus Carola Reinsberg (1993) egit, sed Graeca sunt, non Romana.

on oratorical training: proper delivery, or *actio*, he asserts, is impossible without a knowledge of music (1. 10. 26)” (A. Corbeill, “Education in the Roman Republic”, p. 264). Proinde Quintiliani ipsum utrumque locum legamus, *inst.* 1,10,26 (est autem Marcus Fabius prioribus lineis de uoce uocisque flexu locutus):

Quint, *inst.* 1,10,26 *Corporis quoque aptus et decens motus, qui dicitur εὐρυθμία; et est necessarius nec aliunde peti potest: in quo pars actionis non minima consistit, qua de re sepositus nobis est locus.*

Quint. *inst.* 1,10,27 *Age, non habebit in primis curam uocis orator? Quid tam musices proprium? Sed ne haec quidem praesumenda pars est: uno interim contenti simus exemplo C. Gracchi, praecipui suorum temporum oratoris, cui contionanti consistens post eum musicus fistula, quam tonarium uocant, modos, quibus deberet intendi, ministrabat.*

De ea autem agitur C. Gracchi consuetudine, quam infra uiderimus, ad adn. 68, nempe musicum post terga habendi, qui orationem aut impelleret aut sedaret.⁶⁸

Non equidem intellego, quomodo id possit cum carminibus conuiuialibus conferri, quae ad lyricos potissimum poetas pertinerent, hoc litterarum legibus ea aetate uetantibus, ποιήσεως genera incondite commiseri. Addebatur autem musica iis, quae Graeci habebant conuiuia, quae praeterea ἑτάραξ et fidicinis et tibicinis et multis conuiuiorum additamentis instrui consuissent (nouis istis educatoribus suaserim, ut, quem librum Carola Reinsberg, *Ehe, Hetärentum und Knabenliebe im antiken Griechenland*, C.H. Beck, München 1993, conscripsit, eum sumant et legant, quo lecto melius profecto animaduertent Graeca tandem conuiuia se nosse, quae fuerint). Neque uetus Romanorum prosa oratio, ut Catonis, clausulis multum laetabatur, Ciceronem (*Brut.* 68) si audimus⁶⁹. Carminum conuiuialium uia potest primo larga et peruia apparere, sed mox uepribus consita esse uidetur. Nullo modo possunt carmina conuiuialia cum Quintiliani actione et Auctoris pronuntiatione coniungi.

Post ea, quae ad exempla pertinent, in *Rhetorica ad C. Herennium genera dicendi*,

68 C. Gracchus adolescentulus studiis incubuerat atque Rhetoricae operam dederat et Menelaum ex Marato audierat, ut iam Eduardus Norden nos admonuit (cf. quae de Norden, *Kunstprosa*, libello disputauit, qui inscribitur “Nota di Aggiornamento”, p. 1098 et praecipue ad pp. 1102sq.). Ibi enim probauit Graecis litteris et Asiatica dicendi ratione C. Gracchum imbutum esse. Graecos igitur modos et numeros C. Gracchum hac quoque uia didicisse confirmatur, nec opus fuisse, ut ex antiquissimis carminibus Romanorum conuiuialibus sumeret. Consueuerat autem C. Gracchus hominem peritum post se habere, qui fistula ipsum aut incitaret, aut cohiberet, cum contionaretur, ut Cicero et Quintilianus et Gellius et alii narrant (cf. Cic. *de orat.* 3,224; 227; Quint, *inst.* 1,10,27; Val. Max. 8,10,1; Gell. 1,11,10–16; Plut. *Gracch.* 2,4; *mor.* 456 A; Cass. Dio frg. 85,2, cf. R. Büttner, *Porcius Licinus*, pp. 80sq.; M. von Albrecht, *Meister römischer Prosa*, p. 69 n. 83; G. Calboli, *Nota di Aggiornamento a E. Norden, Kunstprosa*, pp. 1098sq.).

69 At clausulis non egere Orationem uidemus, quam Cato pro Rhodiensibus habuit et postea in *Origines* suas introduxit, cf. G. Calboli: Marci Porci Catonis, *Oratio pro Rhodiensibus*, pp. 394–396, ubi tamen Marci Tulli sententia (ad Catonem addendos numeros esse, qui uidelicet deessent) non modo non improbat, sed prudentissima ratio esse putatur, quam tamen sequi non quouis modo debeamus, si quidem multorum doctorum uirorum sententias contemnere nolimus.

χαρακτῆρες τῆς λέξεως, considerantur, quas tamen figuras ab Auctore uocatas esse uidemus, quod non prius in Graecis et Latinis litteris accidit. Licebit autem nos dicere primo ab Auctore *ad Herennium* genera dicendi considerata, si Demetri opus, Περὶ Ἑρμηνείας, post *Rhetoricam ad Herennium* probauerimus esse conscriptum. Nam Demetrius §36 de quattuor dicendi generibus egit. Quando autem liber Περὶ Ἑρμηνείας compositus sit, disputauit Petrus Chiron (Démétrios *Du Style*, pp. XIII–XL; Id., Un rhéteur méconnu 311–370), qui primis annis saeculi a.Chr.n. primi credit opus, quod est Περὶ Ἑρμηνείας, confectum esse, id est eodem prope tempore, quo *Rhetorica* quoque *ad Herennium* conscripta est. Non liquet igitur utrum opus prius compositum sit, sed cum haec doctrina ex insula Rhodo Romam uenerit, isdem prope annis aut haec aut similis quaedam doctrina elaborata esse uidetur, quod mirum non est, cum, Asiaticis florentibus oratoribus, σχημάτων doctrinam plurimi aestimatam esse consentaneum sit. Incertum autem manet, quis omnium primus genera dicendi inuenerit, quamquam equidem crediderim Theophrasti mentem acutam et attentam, dum dicendi facultates diligenter inuestigat, uix effugere potuisse plures esse orationis species et χαρακτῆρας eius, quam tanto studio inquireret, λέξεως (*elocutionis*). Qua de re tamen disputatur (cf. G. Calboli, “From Aristotelian λέξις to *elocutio*” 50–55, page D. Innes 1985), de characteribus τῆς λέξεως cf. G. Calboli 1993a, pp. 287–298, et praecipue, L. Calboli Montefusco: Fortunatiani *Ars Rhetorica*, pp. 446–452. Auctor autem *ad Herennium* tres figuras distinxit (IV 8,11–11,16), quae sunt *grauis* (χ. ἀδρός), *mediocris* (χ. μέσος), *extenuata* (χ. ἰσχνός). Quorum trium generum longa exempla adiciuntur, nec minora adiciuntur uitiorum, quae uirtutibus absolute respondent, si unoquoque genere nimis et sine parsimonia sis usus. Dignum est autem, quod attentius consideretur extenuati generis exemplum, si in uitium sit conuersum (IV 11,16), ut in Capite IX de Cornifici sermone uiderimus: *Inliberalis enim sermonis et definitionem, qui sit, et exemplum, quo modo in id descendatur, inuenias (Friuolus hic quidem iam et inliberalis est sermo: non enim est adeptus id, quod habet attenuata figura, puris et electis uerbis conpositam orationem)*. Apparet enim Auctorem *ad Herennium* rusticum, inliberalem et inurbanum sermonem perbene distinguere potuisse.

Quattuor dein dicendi uirtutum, quas Theophrastus elegit, quae sunt ἑλληνισμός, σαφήνεια, πρέπον, κατασκευή, primae, id est ἑλληνισμοῦ (Latinitatis) uitia considerantur, qui sunt soloecismus (σολοικισμός), si in errorem incurreris plurium uerborum, et barbarismus (βαρβαρισμός), si in unius tantum uerbi. Sed de iis Auctor pollicetur se esse fusius dicturum, cum artem grammaticam scribendo incubuerit.

Exinde exornationes, id est figurae (σχήματα) exponuntur. Numero sunt sexaginta quattuor (64), Latine ab Auctore uocantur, qui Graeca nomina spernat, et in tres species diuisae: prima occurrit exornationum uerborum species (IV 13,19–30,41), quibus Gorgianae Figurae quoque comprehenduntur. Haec sunt autem Gorgianae, quas uocant, figurae: *contentio* (ἀντίθεσις), *compar* (ἰσόκωλον), *similiter cadens* (ὁμοιόπτωτον). Ex his, D.M. Schenkeveld (“Figures and tropes” 156) si audimus, natae sunt figurae uerborum (“figures of speech”). Insequenti specie (IV 31,42–34,46) decem exornationes comprehenduntur, qui sunt τρόποι et, ut Carolo Barwick (“Probleme”

(1957) 88–111) placet, Stoicorum quaedam stigmata, ut ita dicam, prae se ferunt, sed, mea quidem sententia, id tantum Stoicis se debuisse praedicant, quod una simul collectae sunt figurae, quae haud parum Theophrasto et Praxiteli et ceteris Peripateticis debeant. Sunt autem: *nominatio* (ὀνοματοποιία), *pronominationio* (ἀντωνομασία), *denominatio* (μετωνυμία), *circumitio* (περίφρασις), *transgressio* (ὑπερβατόν), *superlatio* (ὑπερβολή), *intellectio* (συνεκδοχή), *abusio* (κατάχρησις), *translatio* (μεταφορά), *permutatio* (ἀλληγορία). His de tropis cf. quae ego quidem ipse scripsi, G. Calboli, “From Aristotelian λέξις to *elocutio*” 66–80, ubi id disputatur, multa debuisse rhetoras Aristoteli et ceteris Peripateticis, cum haec protulerint, idque maxime, quod ad τρόπους pertineret, qui ex metaphora uenissent, seu partes Aristotelis nondum diuisae methaphorae essent, quales sunt *denominatio* (μετωνυμία), *intellectio* (συνεκδοχή), *abusio* (κατάχρησις) (cf. G. Calboli, “From Aristotelian λέξις to *elocutio*” 56–80; Eund., “The Metaphor after Aristotle” 137–140). Vnde uiginti sequuntur magni momenti et spatii sententiarum figurae (IV 35,47–55,68), quarum nonnullas tantum nunc memorauero, quae sunt *licentia* (παρρησία), *deminutio* (λιτότης), *expolitio* (χρεία), *similitudo* (παραβολή, εικασία), *exemplum* (παράδειγμα), *imago* (εἰκών), *notatio* (ἠθοποιία), *sermocinatio* (διάλογοι), *conformatio* (πρσωποποιία), *breuitas* (βραχυλογία). Hac igitur sub specie commixtae sunt orationis uirtutes cum *sententiarum exornationibus* (*figuris*), ut βραχυλογία, aut Theophrasti (cuiusdam)⁷⁰ χαρακτῆρι simillimae sunt, ut *notatio* (ἠθοποιία), quae nihil aliud est quam Theophrasti ἀλαζονεία (G. Calboli, “From Aristotelian λέξις to *elocutio*” 75–78; *Commentario Libri IV*, adn. 279).

Ad summam, sexuaginta quattuor figurae uerborum et sententiarum fuerunt (quibus et tropi comprehensi sunt), qui in insula Rhodo, uidelicet in scholis, inquirentur et adhiberentur, et elaboratae sunt a doctoribus, qui cum Peripateticis potissimum facerent, sed Stoicos philosophos neque spernerent, neque spreuissent. Ditiorem figurarum doctrinam, quam hanc, quae in *Rhetorica ad C. Herennium* et M. Fabi Quintiliani, *Institutionis Oratoriae* in libris VIII et IX inuenias, lingua Latina elaboratam et expositam ante extremi Imperi Romani grammaticos et rhetoras uideamus nullam. Nullam uero expeditiorem et scholis adcommodatiorem animaduertimus quam quae in *Rhetorica ad C. Herennium* reperitur.

7. Vbi rhetorica doctrina, qua Auctor *ad Herennium* usus sit, nata, ubi elaborata esse uideatur.

De hac re attentius egerunt: Achard 1989: XXXV–LIII; L. Calboli Montefusco 1979; 1986 (in primis adhibenda); Barwick 1964; Calboli 1998a; 2009a

Vti supra uidimus, quae rhetorica doctrina usus est Auctor *ad C. Herennium*, ea partim ab Aristotele, partim ab Hermagora Temnite uenit. Praeterea ea rhetorica arte

⁷⁰ Quaeritur num *Characteres* Theophrasto Eresio sint adscribendi.

adiutus est Auctor, quae a Rhodiis illis annis Rhodo in insula in scholis adhibebatur. Quam equidem puto ab Apollonio Molone Romam latam esse, siue eam Molon ipse, siue quis alius composuisset. Ex Aristotele certissime sumpta sunt tria *genera causarum, quae recipere debet orator* (*Rhet. Her.* I 2,2), *demonstratiuum* (ἐπιδεικτικόν), *deliberatiuum* (συμβουλευτικόν), *iudiciale* (δικανικόν) (*Arist. rhet.* I 1358b 6), sumpta sunt, si non omnia, at nonnulla *argumenta* (*Rhet. Her.* II 5,8–6,9), quae similia Aristoteles praebeat (*Arist. rhet.* I 1355b 35sq.), sed nonnihil immutata sint (cf. Calboli, *Comm.*, pp. 233sg.; L. Calboli Montefusco, Fortunatiani *Ars Rhet.*, p. 408).



Quod idem de genere *deliberatiuo* dici potest, quod *Rhet. Her.* III 2,2–3, et *Arist. rhet.* I 1358b 21sq., tractatur (cf. *Commentarium Libri III*, adn. 6). Pronuntiatio quoque, ex facultatibus quarta, quibus sit oratori opus (*Rhet. Her.* III 11,19), ex Peripateticis ducta esse uidetur, eaque ex Theophrasto, qui opus Περὶ ὑποκρίσεως (Diog. Laert. 5,48), Aristotelis doctrina usus conscripserat. Quae Theophrasti doctrina fieri potuit, ut ex Hermagorae Temnitae per τέχνην ῥητορικὴν aut directe aut, rhetorica quadam arte Rhodia interposita, ad Auctorem *ad Herennium* peruenerit (cf. F. Striller, *De stoicorum studiis rhetoricis* 39; D. Matthes, “Hermagoras von Temnos” 214; J. Stroux, *De Theophrasti virtutibus dicendi* 70sg.; B. Zucchelli, ὙΠΟΚΡΙΤΗΣ 73–96; G. Calboli: 1993a, 263sg.; et “Oratore senza microfono” 32–34; W.W. Fortenbaugh, *Theophrastus of Eresus II* 558 sq.).

Quod autem ad elocutionem attinet, disputatur, utrum tria dicendi genera (χαρακτῆρες τῆς λέξεως) ab ipso Theophrasto an a quo alio inuenta sint (cf. G. Calboli, 1993a, p. 288; Eund., “From Aristotelian λέξις to *elocutio*” 51–55; L. Calboli Montefusco: Fortunatiani *Ars Rhetorica*, pp. 447sq.), cum contra exornationum, id est figurarum, doctrina, quam in *Rhetorica ad Herennium*, inuenias, tota ex Aristotele ducta sit. Figurarum enim distributio et ordo idem est, qui apud Aristotelem, si *Rhetoricam* et *Poeticam* una simul consideraueris, inuenitur, cui nonnulla ex Stoicis, praecipue quod ad tropos pertinet (*Rhet. Her.* IV 31,42–34,46), addita esse uidentur (cf. G. Calboli, “From Aristotelian λέξις to *elocutio*”. 56–80).

Praecipuam uero curam constitutionum, id est statuum, doctrina requirit. Nam in *Rhetoricae ad Herennium* parte, quae est de inuentione, duae inueniuntur doctrinae, quas in Aristotele reperire nequeas: nempe prooemiorum et constitutionum doctrinae. Constitutionum doctrina, quae in *Rhetorica ad C. Herennium* occurrit (I 11,18–17,27), ad eam tantum doctrinam reduci potest, quae apud M. Antonium, oratorem illum praeclarum, et eum ‘secutos’ reperias: *Causarum constitutiones alii quattuor fecerunt, noster doctor tres putauit esse* – scribit Auctor (I 11,18) –, nempe *constitutio coniecturalis, c. legitima, c. iuridicialis*, cum apud Hermagoram Temnitam, scilicet in Ciceronis Libris Rhetoricis (*inu.* 1,10–17), quattuor extent constitutiones, *translatiua constitutio* (quae μετάληψις uocatur) adiuncta, tametsi Marcus Tullius (*inu.* 1,8) in Hermagoram inuehitur. Nam Hermagoras Maior – sic appellat eum Frederica Woerther – ciuiles quaestiones (πολιτικὰ ζητήματα) ad artem rhetoricam pertinere putauerat, earumque genera admiserat duo, id est ζητήματα ἀόριστα et ζητήματα ὀρισμένα, quorum priora appellabantur etiam θέσεις, quae sunt *quaestiones infinitae*, altera ὑποθέσεις, uidelicet *quaestiones finitae*. De finitis autem quaestionibus

duo genera facta sunt, nempe *genus rationale* (γένος λογικόν) et *genus legale* (γένος νομικόν). Quorum *genus rationale* (γένος λογικόν) ex *coniectura*, *definitione*, *qualitate* et *translatione* constabat. Constabat autem *qualitas* (ποιότης) aliis insequentibus constitutionum tamquam subiectis generibus. Nunc liceat mihi duas doctrinas una tabula, Luciam Calboli Montefusco, *La dottrina degli 'status'* 35; et G. Calboli 1993a, pp. 220 sq., secutus, comprehendere et effingere:

(1) Hermagoras (conicitur ita eum struxisse):




Cic. *inu.* 1,10–17

constitutio coniecturalis

στοχασμός


c. definitiua

ὄρος

c. generalis
ποιότης



c. translatiua

μετάληψις

*Rhet. Her.* I 11,18–17,27 et qui Antonium secuti sunt (Quint. *inst.* 3,6,45)

constitutio coniecturalis

στοχασμός

c. iuridicialis
δικαιολογική

Constitutionum doctrina maxima diligentia et prudentia a Lucia (Lucia Calboli Montefusco *La dottrina degli "status" nella retorica greca e romana* 1986) inuestigata est, et, quod attinet ad huius doctrinae uicissitudinem atque mutationem, Montefusco ita suam inuestigationem conclusit: illis annis duas exstitisse constitutionum seu statuum doctrinas, unam, quae ex quattuor constitutionibus constaret, alteram, quae ex tribus, et ab Antonio et iis, qui Antonium sequerentur, adsumpta esset. Constat igitur haec doctrina ex tribus statibus et, ut Cicero (*de orat.* 2,104sq. et 2,110) et Quintilianus testantur, a M. Antonio accepta est, in ea uidelicet rhetorica arte, quam conscribere coepit, sed ad exitum non perduxit; accepta est autem ab iis, qui M. Antonium secuti sunt, et, ut uidemus, a doctore *Rhetoricae ad C. Herennium* et ab Auctore ipso. Sed, cum Auctoris *ad Herennium* et eius doctoris doctrina aperte pateret et in omnibus partibus explicata esset, formula autem quadam Antoni doctrina contineretur, necesse fuit eam ab Antonio secutis *apertius* enodari: his enim uerbis rem referunt Cicero et Quintilianus:

Cic. *de orat.* 2,104sq. (loquitur Antonius) *nihil est enim quod inter homines ambigatur, siue ex crimine causa constat ut facinoris, siue ex controuersia ut hereditatis, siue ex deliberatione ut belli, siue ex persona ut laudis, siue ex disputatione ut de ratione uiuendi, in quo non aut quid factum sit aut fiat futurumue sit quaeratur, aut quale sit aut quid uocetur.* 2,110 *Sed in eo genere, in quo quale sit quid ambigatur, existit etiam ex scripti interpretatione saepe contentio, in qua nulla potest esse nisi ex ambiguo contouersia [...] scriptum a sententia discrepat [...] ex contrariis scriptis si quid ambigatur [...] si est scriptum aliquid ambigue.* Cf. infra tabulam.

Quint. *inst.* 3,6,45sq. *tres fecit et M. Antonius his quidem uerbis: 'paucae res sunt, quibus ex rebus omnes orationes nascuntur, factum non factum, ius iniuria, bonum malum'. Sed, quoniam quo iure dicimur fecisse, non hunc solum intellectum habet, ut lege, sed illum quoque, ut iuste fecisse uideamur, secuti Antonium apertius uoluerunt eosdem status distinguere, itaque dixerunt coniecturalem, legalem, iuridicalem [...] horum deinde fecerunt species ita ut legali subicerent finitionem et alios qui ex scripto ducuntur, legum contrariarum, quae ἀντινομία dicitur, et scripti et sententiae uel uoluntatis, id est κατὰ ῥῆτὸν καὶ διάνοιαν, et μετάληψιν, quam nos uarie translatiuam, transumptiuam, transpositiuam uocamus, συλλογισμόν, quem accepimus ratiocinatiuum uel collectiuum, ambiguitas, quae ἀμφιβολία nominatur⁷¹.*

Hac de re cum egi, Ciceronis uerba et Quintiliani minus cohaerere mihi uisa sunt ita, ut Quintilianum sequi maluerim. At Lucia Montefusco, quo est mentis acumine summaque diligentia, rem totam explicauit. Docuit enim Antoni *'factum non factum'* nihil aliud esse nisi *coniecturam*, *'ius iniuriam'* *qualitati* respondere (in *Rhetorica ad C. Herennium* respondere *constitutioni iuridiciali*), *'bonum malum'* *definitioni*, quae constitutio apud Ciceronem (*De inu.*) *definitiuam* appelletur, et Graece sit, ut supra uidimus, ὄρος. Ita omnem, quae inter Ciceronem et Quintilianum differentia uideretur,

71 Cf. J. Adamietz, *Quintiliani Liber III*, S. 136; 140; U.W. Scholz, *Der Redner M. Antonius* 101–108; G. Calboli, "L'oratore M. Antonio" 129–136; Eund., "Introduzione alla inventio" 214–221; L. Calboli Montefusco, *La dottrina degli "status"* 197–204.

dissoluit. Quam autem doctrinam M. Antonius ex Graeciis de statibus sumpsisset, etiam a Crasso acceptam esse et ab ipso Cicerone, si quidem non Libros Rhetoricos, sed *De oratore* et *Partitiones Oratorias* et *Oratorem* et *Topica* consideraueris. Haec enim M. Antonius ab Academicis sumpsit, cum Athenis Charmadam, qui Academicus fuit philosophus, Carneadis discipulus, conuenisset. Quod ad Charmadam pertinet, uide quae infra collegimus, cum de philosophia Cornifici disputauimus. Nunc hoc magni ponderis testimonium e manibus elabi non sinam et Luciae uerba ipsa referam (L. Calboli Montefusco, *La dottrina degli "status"* 198): "A questa dottrina degli *status*, testimoniataci da Antonio in uno schema già ben articolato e condivisa nei suoi tratti essenziali anche da Crasso [*de orat.* 3,119], Cicerone aderì non solo nel *de oratore*, ma anche nelle opere retoriche successive: sia nell'*orator*, sia nelle *partitiones oratoriae*, sia nei *topica* infatti troviamo il duplice trinomio *coniectura-qualitas-definitio* e *scriptum et sententia-ambiguitas-leges contrariae* [Barwick, "Bildungsideal" 54sg., vede appunto in questa 'Dreizahl' una caratteristica della dottrina peripatetico-accademica, cf. anche K. Barwick 1964]. Solo nelle *partitiones oratoriae* [Cf. Cic. *part.* 132sgg.; Sternkopf, *De M. Tulli Ciceronis Partitionibus oratoriis* 99sg. e sopra p. 41sg.] però abbiamo l'assorbimento delle questioni legali da parte della *qualitas*: possiamo quindi supporre che esso facesse parte della componente accademica della dottrina, tenendo conto proprio del fatto che le *partitiones oratoriae*, per esplicita dichiarazione di Cicerone, *e media illa nostra Academia effloruerunt* (*part.* 139) e che Antonio stesso non dovette essere esente da discreti influssi accademici [Il viaggio di Antonio in Grecia e la sua conversazione con Carmada dovettero avere infatti un notevole peso anche nella stesura di quel *libellus* nel quale Antonio aveva esposto la propria dottrina: cf. Cic. *de orat.* 1,94sg.; Kennedy, *The Art of Rhetoric* 219 e sopra p. 41 sg.]. Dein Lucia, a me ipso rogata, hanc paruam Tullianae doctrinae tabulam depinxit:

Cic. *de orat.* 2,110; *part.* 132sqq.

coniectura
definitio
qualitas

qualitas, cum dissertatio uersatur in scriptis { *scriptum et sententia*
ambiguitas
leges contrariae

Auctor uero *ad Herennium* scribit constitutionum doctrinam a suo doctore ita immutatam esse, ut ipse descriperit (*Rhet. Her.* I 11,18 *Causarum constitutiones alii quattuor fecerunt: noster doctor tres putauit esse*). Apparet igitur hac de re diu multumque disputatum esse, tantum, ut M. Antonio opus non esset, multis uerbis totam rem explicare, et satis esset, ut per formulam diceret, quid significare uellet (*factum non factuum, ius iniuria, bonum malum*). Laetamur, quod Cicero, Rhetoricis Libris, et Auctor *ad Herennium*, rem planius et diffusius exposuerunt, quamquam Auctor nihil

de Academica doctrina suspicatus est aut, quo uerius dicam, suspicatum se esse nusquam ostendit.

Deinde exordi doctrina aliter in M. Tulli Rhetoricis libris atque in *Rhetorica ad Herennium* exponitur, cum Auctor credat oratori *insinuatione* utendum semper esse, si principio aperto uti non liceat, nempe cum causa turpis sit, hoc est cum ipsa res animum auditoris alienet, aut auditori iam persuasum sit ab iis, qui ante dixerunt, aut defessus sit auditor eos audiendo, qui ante dixerunt (*Rhet. Her. I 6,9 cum turpem causam habemus, hoc est, cum ipsa res animum auditoris a nobis alienat; aut cum animus auditoris persuasus esse uidetur, ab iis qui ante contra dixerunt; aut cum defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt*). Hic quoque se laetari scribit Auctor, quod aliquid nouum ipse inuenerit: *Rhet. Her. I 9,16 Adhuc quae dicta sunt arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quia de insinuationibus noua excogitauimus, quod eam soli nos in tria tempora diuisimus*. Graecam autem hanc esse doctrinam ex eo conicere possumus, quod Graecum nomen, quod est ἔφοδος, Auctor (I 4,6) memorare ueritus non est.

Similis apud Ciceronem doctrina inuenitur (*inu. 1,20–23*), nisi quod Cicero scripsit tum esse insinuationem adhibendam, cum genus causae *admirabile* sit, genus autem causae *admirabile* occurrere, si in ipsa causa insit quaedam turpitudine, aut auditori iam quiddam persuasum sit aut si illi, qui audiant oportet, iam fessi sint audiendo. In genere admirabili causae accidere posse, ut auditores non omnino infesti sint, et tum *principio beneuolentiam comparare licebit* (Cic. *inu. 1,21*). Hoc autem Lucia Calboli Montefusco ((*Exordium Narratio Epilogus 15–17*), ita explicauit: Hermagoram Temnitem *principium et insinuationem* non distinxisse, distincta tamen esse a rhetore quodam, qui post Hermagoram hanc doctrinam elaborauerit et ditio-riorem fecerit. Addidisse enim illum genus obscurum (δυσπαρακολούθητον Quint. *inst. 4,1,40*, si audimus)⁷². Ditio-riorem nouam doctrinam a Marco Tullio adsumptam, uetustio-riorem ab Auctore, qui tamen insinuationem tribus in temporibus, quas supra uidimus, adhibendam esse scripserit, ne quid huic ueteri Hermagorae doctrinae de-esset, quod in recentiore inueniretur doctrina. Sed nouam doctrinam non in Marci Tulli *Libris Rhetoricis* tantum occurrere, sed etiam in Quint. *inst. 4,1,40*, et in tardioribus rhetoricarum artium scriptoribus.

Dein *pronuntiatio* (et *actio*) in *Rhetorica ad Herennium* diligenter explicata est (*Rhet. Her. III 11,19–14,25*, de uoce; III 14,25–15,27 de corporis motu, quod potius ad actionem, quam ad pronuntiationem spectat), uelut a Theophrasto singulari cura culta est, qui etiam opus Περὶ ὑποκρίσεως conscripserit (cf. W.W. Fortenbaugh et alii, *Theophrastus of Eresus II*, p. 512 et 558). A Theophrasto autem opus Περὶ ὑποκρίσεως compositum esse docet nos Diogenes Laertius, 5,48, cuius indirectum fragmentum Athanasius tradidit (*RhG XIV 177,3–8* Rabe.). Hoc uero loco Theophrastus ὑποκρίσει primas partes dedit, Demosthenis opinione nisus, artem rhetoricam totam ex pro-

72 De exordio et de partibus orationis cf. L. Calboli Montefusco, *Exordium Narratio Epilogus 1988*, et Eand., “La funzione della *partitio* nel discorso oratorio” 69–85.

nuntiatione, id est ἐξ ὑποκρίσεως constare, tametsi sunt qui addant haec Demosthenem ira in ὑποκρίσιν ductum dixisse (Athanasius. *RhG* XIV 176,21–177,3 Rabe, cf. G. Calboli, “Oratore senza microfono” 33f.). In eos autem Auctor *ad Herennium* inuehitur, qui plurimi pronuntiationem aestimare consueuerint (III 11,19) nec scribere dubitat: *Pronuntiationem multi maxime utilem oratori dixerunt esse et ad persuadendum plurimum ualere. Nos quidem unum de quinque rebus plurimum posse non facile dixerimus, nec egregie magnam esse utilitatem in pronuntiatione audacter confirmauerimus.* Praeterea Auctor *ad Herennium* scribit, antequam ipse pronuntiationi operam daret, hanc artis rhetoricae partem neglectam esse (*Rhet. Her.* III 11,19 *quia nemo de ea re diligenter scripsit*). At L. Plotius Gallus, quem F. Marx, *Prolegomena* 147–150, suspicatus est cum Auctore *ad Herennium* coniunctum esse⁷³, cum ambo, Plotius et Auctor, Rhetoribus Latinis familiariter usi essent, Plotius autem huius quidem scholae conditor haberetur, librum *De gestu* composuit: Quint. *inst.* 11,3,143 *Togam ueteres ad calceos usque dimittebant, ut Graeci pallium, idque ut fiat, qui de gestu scripserunt circa tempora illa, Plotius Nigidiusque praecipiant.* Nunc qui possumus explicare Auctorem *ad Herennium* in eum, qui hunc ludum condidisset, inuectum esse? Equidem bifariam hanc quaestionem solui: aut Plotium librum *De gestu* post *Rhetoricam ad Herennium* conscripsisse aut quod Plotius questus esset, eandem querelam Auctorem *ad Herennium* persecutum et quasi comitatum esse aut saltem suam in artem introduxisse (Calboli: Cornifici *Rhet. Her.*, p. 264f.; Id., “La retorica preciceroniana” 91; F.L. Müller, *Rhetorica ad Herennium*, p. 207). Ex quo efficitur, ut Auctor aut eandem aut similem doctrinam quam Plotius protulerit.

Memoriae quoque, quam Auctor diligenter tractauit, operam nuper dedit F.L. Müller, qui tamen contendit Graecum tantum fontem ab Auctore esse prolatum, neque quicquam aliud ab eo additum esse, qui ea quoque, quae minus per memoriam effici possent, ponere non dubitauerit, cum Quintilianus ea effici non posse nouerit et idcirco tradere uitauerit (cf. F.L. Müller, *Kritische Gedanken zur antiken Mnemotechnik* 15–28; 32–36; 104).

Mihi sunt igitur quae in conclusione posui, quod ad capita spectat, ubi Marci Tulli Libri Rhetorici praesto non amplius sunt, eadem confirmanda, nisi quod his duobus ultimis, quos tetigimus locis, ‘doctoris’ certissime et Ploti Galli probabiliter meminisse debemus (utrum doctor et Plotius eadem persona fuerint necne, diiudicari non potest, quamquam fieri potuit, ut essent), ut qui non pauca eaque non parui momenti in *Rhetoricam ad C. Herennium* intulerint. Id autem aperte patet utrumque, siue doctorem siue Plotium, Graecam doctrinam et Graecum fontem obliuisci nequisset, perpauca noua inuenisse, Graeca potius ex alio alium in locum transtulisse, ordinem immutasse, aut ditiora aut simpliciora potius fecisse, quae Graeco in fonte

73 Idem iam Fridericus Marx, “Zur Charakteristik” 423sq., defendit. Friderico autem Marx Fridericus Leo, *Geschichte der römischen Literatur* 314sq., adstipulatus est in eamque sententiam ego quidem ipse ire ueritus non sum (G. Calboli, “La retorica preciceroniana” 89–94), neque est ueritus J. Kaimio, *The Romans and the Greek Language* 199, qui tamen tantillum dubitasse uidetur.

reperissent. Graecam enim artem rhetoricam, τέχνην ῥητορικὴν, ex insula Rhodo Romam uenisse apparet, siue ab Apollonio Molone sit, siue a quo alio, illata. Romam autem Molonem ipsum tulisse duobus probatur, primum quod illis ipsis annis Romae Molon fuit, dein quod maximum oratorem, maximum Rhodiorum rhetorem, qui tantum publicis scholis tribuissent, eam τέχνην, quae Rhodiis in scholis adhiberetur, praesto non habuisse iisque de quaestionibus non disputasse, quibus ars rhetorica contineretur, si non de omnibus, at de maioribus de iisque, quae maxime ad Romanorum oratores pertinerent, uix credibile est. Vix autem credibile Molone et Rhodiis Romanos fuisse contentos neque alios testes sumere conatos esse, ut M. Antonium, Charmada usum eiusque Atheniensis Academiae doctrina, fecisse uidemus. Credideram igitur unam Graecam artem rhetoricam, τέχνην ῥητορικὴν, Romae exstitisse, ex qua saltem rhetores, ut Cicero et Cornificius (Auctor *ad Herennium*)⁷⁴, doctrinam suam sumpsissent, siue ambo e communi Graeco fonte, Latino facto (?), hausissent, siue Cornificius Cicerone usus esset (quod mihi uerisimilius nunc porro uidetur – at non totam praebuit artem rhetoricam Tullius, sed eam tantum partem, quae de inuentione esset). Romanos igitur rhetoras puto hoc Rhodio fonte usos esse et alia aliis Graecis e fontibus sumpta hic illic immutasse⁷⁵, ita esse duas artes rhetoricas, quae hic simillimae, praecipue simplicioribus in definitionibus essent, illic uero, aliis praeceptis adsumptis, haud parum dissimiles essent. Quod attentissime oportet, ut distinguamus, ut supra facere conati sumus. Commixtam autem nonnunquam rhetoricam esse cum philosophia consentaneum est, cum philosophiae Auctor scripserit, operam dare se malle, et Cicero semper et extremis maxime annis philosophiae continuo incubuerit. Tempus est igitur, nos philosophiam Cornifici nostri seu Auctoris *ad C. Herennium*, diligentius inuestigare.

8. Quam philosophiam Auctor *ad Herennium* secutus sit.

De hac re attentius egerunt: Marx, *Prolegomena* 83sq.; Bione 1910; H. Caplan 1954: xxv; U.W. Scholz 1962; K. Barwick 1963; Achard 1989: XXVsq.; W.W. Fortenbaugh: 1992 II, pp. 528–549; Calboli 1993a: 32–34; D. Blank 1995; 2009.

In primo libro Auctor primum autumat, quod sibi detur otii, id se in philosophia consumere consuesse: *Etsi negotiis familiaribus impediti uix satis otium studio suppeditare possumus et id ipsum, quod datur otii, libentius in philosophia consumere consueuimus, tamen* eqs. (I 1,1). Tum extremo quoque libro philosophia tamquam uitae ratio memoratur, dein mentio fit uitae perfectissimae, quasi perfectissima ea uita sit, quae philosophia et dicendi facultate nitatur (IV 56,69):

74 Opinionem meam accepit U. Agnati, “Sequenze decemvirali” 247.

75 Cf. Cic. *de orat.* 1,82–95; 2,3; 3,75, et *De orat., Kommentar*, quod Leeman-Pinkster-Nelson composuerunt, 2. Bd., p. 192, et, quod ad M. Antonium eiusque uitam pertinet, cf. U.W. Scholz, *Der Redner M. Antonius* 6sq. et passim.

Rhet. Her. IV 56,69 Nam et simul libenter exerceamur [Herennium adloquitur Auctor] propter amicitiam, cuius initium cognatio facit, cetera philosophiae ratio confirmabit; et nobis non diffidimus, propterea quod et aliquantulum processimus et alia sunt meliora, quae multo intentius petimus in uita, ut, etiamsi non peruenerimus in dicendo quo uolumus, parua pars uitae perfectissimae desideretur.

Quodsi haec uerba, in principio et exito posita, attentius consideraueris, facere non poteris, quin mirere, philosophiae non solum Auctorem adfirmasse se operam dare consuesse, sed primas in studio partes tribuere, in eaque otium, quod sibi detur, se libentius consumere malle. Iam Fridericus Marx, *Prolegomena* 83sq. ‘de philosophia scriptoris ad Herennium’ egerat atque contenderat Auctorem ad Herennium ad Epicuri philosophiam inclinasse. Epicuri autem doctrinam cum rhetorica conciliari prorsus non posse Marx minus considerauerat, qui tamen Philodemum non ille quidem ignorauerit, sed male interpretatus sit:

Philod., I 250, col. XVII 29–34 Sudhaus τῶν δὲ ῥητόρ[ων] ἡ τέχνη πρὸς οὐδὲν ἐπιδείκνυται [τῶ]ν εἰς ἰμακάριον βίον ἀνηκόντων χρησιμεύουσᾶ “Rhetorum ars nullo modo uidetur ad ea utilis esse, quae ad uitam beatam pertinent”.

Scribit enim Marx (p. 83): “En habes uitam illam perfectissimam quam laudat scriptor”. Apparet igitur ita Marx interpretatum esse Philodemi uerbum, quod est χρησιμεύουσᾶ et negationem, tamquam si significant ‘quod non deest’ et totum locum “Rhetorum arti nihil deesse uidetur, quod ad uitam beatam pertineat”. Quod est toto coelo contrarium significationi, quam Philodemi locus permittit.

Eo autem tota res continetur, Epicureorum rhetoricam iis tantum esse contentam, quae modo ad σαφήνειαν⁷⁶ spectent, quibus oratio intellegatur, nullis ornamentis adiunctis nihiloque addito, quod persuadeat et a recta uiuendi ratione, id est a ratione uiuendi, quam Epicurus elegit, auertat. Tanti est enim Diogenis Laerti locum referre, in quo, quid Epicurus de loquendi facultate senserit eaque sit usus, exponitur:

Diog. Laert. 10,13, p. 11 Arrighetti, fr. 54 Usener

Κέχρηται [Επίκουρος] δὲ λέξει κυρία κατὰ τῶν πραγμάτων, ἦν ὅτι ιδιωτάτη ἐστίν, Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς αἰτιᾶται. σαφῆς δ’ ἦν οὕτως, ὡς καὶ ἐν τῷ Περὶ ῥητορικῆς ἀξιῶ μὴδὲν ἄλλο ἢ σαφήνειαν ἀπαιτεῖν⁷⁷ “Si valeva di espressione appropriate per indicare le cose, che il grammatico Aristofane riprende come troppo personali. Ma fu così perspicuo che anche nella sua opera ‘Sulla retorica’ non pensa che si debba ricercare altro che la chiarezza” (Ita uertit Gratianus Arrighetti).

76 De quattuor loquor Theophrasti *uirutibus dicendi*, quae Graece sunt ἀρεταὶ τῆς λέξεως, nempe ἑλληνισμός, σαφήνεια, πρέπον, κατασκευή, ut a Joanne Stroux, *De Theophrasti uirtutibus dicendi* 9–28 (cf. etiam W.W. Fortenbaugh: *Theophrastus of Eresus II*, pp. 528–549) memoratae sunt.

77 Neque credo hic σαφήνειαν indistincte, nulla Theophrasti doctrina et memoria considerata, ab Epicuro usurpatam, quem multa a Theophrasto de doxographia, quam appellant, et περὶ μετερεωλογίας sumpsisse D. Sedley, *Lucretius*, pp. 178–185, et M. Gigante, *Kepos et Peripatos*, pp. 51–56, probauerint.

Quae ut intellegas, lector, te rogo, ut ea legas, quae ego quidem ipse, cum de Lucreti rhetorica agerem, collegi (G. Calboli, “Lucrezio e la Retorica”, pp. 188–199), ubi libro Vidonis Milanese, uiri doctissimi atque acutissima praediti mente, qui inscribitur *Lucida Carmina* 1989, usus sum atque aliis recentioribus dissertationibus, ut David Blank 1995 et 2009. Putat enim Blank una tantum causa Epicurum rhetoricam permisisse, ut per eam disceretur clare et expedite loquendi facultas: “Grammatic is a more or less natural development of the ability to speak, the codification of the one naturally correct language. Sophistic rhetoric is the result of applying reason to make this language the best vehicle for clear expression. As such, sophistic rhetoric should be an art Epicurus could have accepted” (D. Blank, “Philodemus on the Technicity”, p. 188). Quod recentius (2009) Blank ipse confirmavit, scilicet rhetoricam ab Epicuro ea condicione acceptam esse, dumtaxat loqui tantum clare et distincte doceret, qui scripserit: “There is an art of sophistic rhetoric, of putting on sophistic displays and writing sophistic speeches. But this cannot be an art for the philosopher, nor can it be a philosophical art. The philosopher has an interest in writing clearly about the most important things, the Epicurean philosophy, and also in speaking about that philosophy with friends in the Epicurean school. For these communicative situations he will employ a natural style, indeed a naturally beautiful style. [...] His speeches will use rhetorical techniques such as encouragement, invective and even tirades in an attempt to make the others see his fault and what he should do to correct it” (D. Blank, “Philodemus”, pp. 91sq.).

Quodsi Epicuri philosophiam Auctor secutus non est, ut minus recte Marx, *Prolegomena* 83sq., credidit, quaerendum est, cui philosophorum sectae Auctor se addixerit. Immo utrum philosophorum doctrinam quandam secutus sit necne. Nunc igitur necesse est, ut nonnulla, quae iam 1993a protuli, reprehendam. Aliquot Epicuri dicta Auctor nosse uidetur, qualia sunt: IV 17,24 *egens aequae est is, qui non satis habet, et is cui satius nihil potest esse* (cf. Caplan, p. 289); II 21,34 *“Duae res sunt, iudices, quae omnes ad maleficium impellant, luxuries et auaritia”. “Quid amor?” inquiet quispiam, “quid ambitio? quid religio? quid metus mortis? quid imperi cupiditas?”* Etiam quae aduersus dialecticam dixit (II 11,16) uelut testimonium a F. Marx, *Prolegomena* 83sq., habita sunt, ab Auctore dialecticam spretam, ut ab Epicuro spretam esse accepimus:

Rhet. Her. II 11,16 *Sunt qui arbitrentur, ad hanc causam tractandam uehementer pertinere cognitionem amphibolarum eam, quae ab dialecticis proferatur. Nos uero arbitramur non modo nullo adiumento esse, sed potius maximo impedimento.*

Diog. Laert. 10,31 τὴν διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσιν “dialecticam quoque ut superuacua reiciunt [Epicuri sectatores]”).

H. Caplan, p. xxv, Friderici Marx opinionem in dubium uocauit, cum exempla ex diuersis philosophorum scholis ducta esse uideantur. Item C. Bione, *I più antichi trattati* 56sq., Auctorem contendit in philosophia tamquam hospitem se gessisse et ἐκλεκτικόν, ut omnes Romanos fuisse. Equidem non omnino Marxianam opinionem reiecerim. Namque *uitae perfectissimae* studium, dialecticae contempionem, religio-

nem inter res esse, quae omnes ad maleficium impellant – quod etiam in exemplo admirationem mouet – neglegi non potest, neque intellego, cur, quae Auctoris uerba ex exemplo sint ducta, haec non ab Auctore ipso dicta esse putentur. At non Epicuri philosophiam Auctorem quodammodo secutum esse, sed Nouae Academiae creditur Franciscus Della Corte, *La filologia latina*, p. 64 n. 1; quam philosophiam Franciscus suspicatus est Auctorem ex Lutatio Catulo eiusque amicis cognosse potuisse. Fuisse enim Catulum certissimum Academiae Nouae cultorem, ut Cicero ipse narrat *ac.* 2,148 *Tum Catulus: “Egone?”*, inquit, *“ad patris reuoluo sentimentiam, quam quidem ille Carneadeam esse dicebat”*. Neque alio nexu *Rhetorica ad C. Herennium* cum Noua Academia connectitur, nisi dialecticae reiectione, si non odio, quo flagrare Cornificium supra uidimus et Carneadem accepimus, qui aiebat dialecticam non aliter se gerere quam polypum, qui suos ipse cirros, cum adoleuerint, uoret et omnia confundat (Stob. *flor.* 82,13 Wachsmuth, et Calboli, *Studi Grammaticali* 234):

Stob. *flor.* 82,13 Wachsmuth Καρνεάδης τὴν διαλεκτικὴν ἔλεγε πολῦποδι εἰκέναι· καὶ γὰρ ἐκείνον ἀξήθεισας τὰς πλεκτάνας κατεσθίειν, καὶ τοὺτους ποιούσης τῆς δυνάμεως καὶ τὰ σφέτερα ἀνατρέπειν. “Carneades aiebat dialecticam polyphi similem esse: hunc enim cirros suos, cum adoleuerint, uorare, sed eosdem, si fieri possit, omnia sua pessum dare consuesse”⁷⁸.

Sed hoc est ad rem nostram magni momenti, M. Antonium, praeclarum illum oratorem a Cicerone, *de orat.* 2,157sq., dialecticae inimicum inductum esse, qui praedicare non dubitauerit: *ipsi [sc. dialectici] se compungunt suis acuminibus et multa quaerendo reperiunt non modo ea, quae iam non possint ipsi dissoluere, sed etiam quibus ante exorsa et potius detexta prope retexantur*. At, qui tam inimice dialecticos induceret, is haec prius, cum dialecticorum scientiam laudibus extulisset, dicere non dubitauerat, *Cic. de orat.* 2,111 *ambiguorum autem cum plura genera sunt [loquitur Antonius], quae mihi uidentur ii melius nosse qui dialectici appellantur, hi autem nostri ignorare, qui non minus nosse debeant*. Neque ego quidem puto M. Antonium id piguisse, quod oratores Stoicorum diuisiones non satis nossent neque ambiguitatem uitarent, sed quod id satis illis persuasum non esset, dialecticam bene noscendam et philosophiam non ignorandam, ut a multis Romanis oratoribus ignoraretur. Nec aliter sensisse Marcum Tullium nouimus, qui has artes hortaretur, ne orator ignoraret, qui perfectus euadere uellet, cf. L. Calboli Montefusco (*La dottrina degli “status”* 182, n. 79).

Non spernendam igitur sentio hanc quaestionem philosophiae studio celari, ut probare conatus sum libello, qui inscribitur “Cornificiana 2”, ad pp. 100–102, id est rhetoras et philosophos disputasse, utris adulescentes ad educandum essent tradendi (quod pertinet ad id, quod Germanice appellatur ‘Bildungsideal’). Non recusauit igitur Cornificius – sub hoc nomine semper Auctorem *ad Herennium* intellego –, non reiecit philosophiam Auctor, ut rhetor, sed necessariam uel maxime fecit, si quis bene nosse rhetoricam uellet, si quis orator euadere isque perfectus saneque

78 Testimonia collegit B. Wisniewski, *Karneades* 48sq.; 102.

melior, quam latrator rabula, mallet, ut M. Antonius fecerat, qui a Charmada esset, Carneadis discipulo (qualem Cicero *de orat.* 1,93sq., eum effinxit) imbutus et eruditus. Nimirum Guilelmi Kroll (Comm. ad Cic. *orat.* 18, p. 30) opinionem equidem reieci, Ciceronem ementitum esse, cum Athenis Charmadam a M. Antonio conuentum esse scripsit, utpote qui rhetoricam Academicorum doctrinam prorsus ignoraret (“von akademischer Rhetorik nichts ahnte”) – sic putauit Kroll, qui Ciceronis locum, qui est *de orat.* 2,161, (cf. infra) non considerasse uidetur. U.W. Scholz (*Der Redner M. Antonius*, p. 98), opinionem Guilelmi Kroll accepit, sed nihilo tamen setius post annum centesimum secundum (102), quo Antonius Charmadam conuenisse putatur, et post censuram, quam anno nonagesimo septimo (97) gessit, M. Antonium credit libello suo de arte rhetorica conscribendo incubuisse (96–91), quem tamen multis obstrictus negotiis ad finem non perduxit. At longe aliter atque rhetores, qui, ut Hermagoras Maior philosophiam recusabant (cf. K. Barwick, “Das rednerische Bildungsideal” 33), M. Antonius se gessit. Auctor quoque magni philosophiam fecit, qui Hermagoram male carpere, ut Cicero (*inu.* 1,8), numquam intermisit (*Rhet. Her.* IV 3,6). Quae igitur primo libro et extremo quarto Cornificius de suo philosophiae flagranti studio scripsit, explicari posse hoc modo uidentur.

Achard quoque (p. 47) exclusit Epicuri philosophiam Auctorem *ad Herennium* secutum esse, dialectica improbata, quae non ab Epicuro modo eiusque discipulis, sed a multis multarum scholarum philosophis improbata esset: “De fait beaucoup des philosophes, de tendances diverses, se défient des dialecticiens. Le jugement du jeune sénateur [id est l’Auctor *ad Herennium*] est surtout, semble-t-il, dans la ligne d’Antoine qui, d’après Cicéron (*orat.* 68), critique la *concertatio uerborum*”. Idem sentit F.L. Müller, p. 195 n. 27. Quamquam igitur Auctor iuuenis senator ab Achard fuisse putatur – quod mihi tamquam oxymorum sonat –, sua in sententiā Achard non omnino stare uidetur. Nam insequenti disputatione (Calboli “L’oratore M. Antonio” 1972) aliis argumentis eam sententiam ego quoque defendi atque ostendi hac ipsa M. Antoni cum Charmada connexionem, nempe cum philosopho ex Academia, eam ipsam connexionem confirmari et probabiliorem fieri, qua *Rhetorica ad C. Herennium* et M. Antonius coniungerentur. Quod tamen rebus non opinionibus, ut statuum doctrina probatur, quae non modo singularis⁷⁹ sit, sed ex Academia noua ducta esse uideatur. Adde quod pronuntiatio et actio et memoria attentius a M. Antonio cultae sunt (Calboli, “L’oratore M. Antonio”, pp. 142–144, et 144–145), quod pronuntiationi operam se primum dedisse Auctor gloriatus est, his omnibus, una simul consideratis, quae per se singula magni momenti sint, mea sententia et opinio, ut quae certissima, mihi comprobata esse uidetur. Quodsi aliud testimonium quaesieris horum prope singularium trium, coniunctionis congregationisque M. Antoni, scilicet, et *Rhetoricae ad C. Herennium*, et Nouae Academiae, aedum, e Ciceronis *De*

79 Quam singularis ea doctrina fuerit et quam ueri similiter e Noua Academia ad M. Antonium, Charmada docente, peruenerit, ostendit, ut supra uidimus, L. Calboli Montefusco, *La dottrina degli “status”*, p. 198–200.

oratore libro altero sumito (Cic. *de orat.* 2,161), iam clarius profecto uideris, quanti M. Antonius, tamquam orator, Carneadem, Nouae Academiae magistrum, fecerit: *Carneadi uero uis incredibilis illa dicendi et uarietas perquam esset optanda nobis; qui nullam umquam in illis suis disputationibus rem defendit quam non probarit, nullam oppugnauit quam non euerterit.* Iam Epicuro, accusatore illo quidem dialecticae, sed rhetoricae minus amatore, opus nihil erit.

Dein his operibus, quae post *Libros Rhetoricos* conscripsit, id conatum Marcum Tullium esse uidemus, omnia, quae ad perfectum oratorem necessaria essent, uidelicet dicendi facultatem, iuris ciuilis scientiam, philosophiam, Latinitatis quoque usum et curam, mores quidem una simul colligere et ἐγκυκλίῳ quadam παιδείᾳ comprehendere, dum rhetoricam artem non totam, sed per genera et argumenta partiretur. Quod Marcum Tullium ipsum, quod ad Latinitatem spectaret, extremo suae uitae tempore, ad Marcum filium scripsisse uidemus: Cic. *off.* 1,2 *nostra legens [Marce fili] non multum a Peripateticis dissidentia, quoniam utrique Socratici et Platonici uolulus esse, de rebus ipsis utere tuo iudicio (nihil enim impedio), orationem autem Latinam efficies profecto legendis nostris plenior.* Nec uero hoc adroganter dictum existimari uelim. Nam philosophandi scientiam concēdens multis, quod est orationis proprium, apte distincte ornate dicere, quoniam in eo studio aetatem consumpsi, si id mihi adsūmo, uideor id meo iure quodam modo uindicare⁸⁰. Ab hac omnium bonorum, ut ita dicam, coniunctione afuit profecto Cornificius, qui haec ille quidem siue coluit siue colenda existimauit, sed separatim, ut rhetoricam et philosophiam, alteram ab altera separatam seruauit. At iter ad eloquentiam et uitam perfectissimam, cum haec scriberet, iam ingressus erat.

9. Quo sermone Cornificius in *Rhetorica ad C. Herennium* conscribenda usus sit.

De hac re praecipue egerunt: Thielmann 1879; Marx, *Prolegomena* 167–179; G. Golla 1935; J. Marouzeau 1954; J.B. Hofmann 1980; Calboli 1962; 1972a; 2009c; 2013a; 2017b.

Non alia lingua Auctor *ad Herennium* usus est, ac Cicero et Caesar et ceteri illius aetatis bonae Latinitatis scriptores. Quod Georgius Golla dissertatione sua *Sprachliche Beobachtungen zum Auctor ad Herennium* 1935, a Guilelmo Kroll, magistro mirabili doctrina acutaque mente praedito, ductus defendit atque probauit, dum eodem tempore non satis firmis fundamentis nisam opinionem demonstrat, qua Philippus

80 Hodie prudentius me gerere cupio quam *Rhet. Her.* 1993, ad p. 34, feci, cum de Isocrate haec sumpta esse credidi, disputatiuncla mea fretus, quae inscribitur “La formazione oratoria di Cicerone”, *Vichiana* 3, 1965, 3–30. Ampliorem enim Marcus Tullius et ditiorum doctrinam protulit quam quae de Isocrate sumi posset uno, Isocrate quamuis attente considerato, ut Cicero profecto fecit.

Thielmann (1879) et Fridericus Marx (1894) contenderant Auctorem *ad Herennium* uetere et uulgari, quem appellant, et puerili sermone usum esse. Qui multos annos Auctoris linguam inuestigauerim et nonnulla hac de re scripserim, quamquam non omnia, quae collegi, adhuc edidi, nec edere in animo est, equidem malim cum Golla quam cum Thielmann et Marx facere, quod tamen me clarius probaturum insequentibus paginis esse confido⁸¹. Quae enim omnia uel plurima Thielmann et ceteri, qui Auctoris linguam inuestigarunt, uulgari sermoni adscripserunt, quippe quae a Ciceronis lingua differrent, ea analogiae tribuenda esse monstraui et sua sponte ab Auctore electa esse probaui, qui grammaticam, et eam Alexandrino e fonte sumptam, optime nosset et linguam rusticam, quam recentiores, non huius aetatis Romani, uulgarem appellant, tam callide dignoscere posset, ut eius exemplum proponere non dubitauerit. Hoc est enim omnium primum animaduertendum, perbene grammaticam, Aristarcho ipsi probatam, Auctorem ad Herennium perfecte potuisse callere, aridum uero et exangue orationis genus, quod recte posset exile nominari, a bona et ornata Latinitate distinguere. Cum enim exilis sermonis exemplum protulit, nonnulla condidit, quae inliberalis sermonis propria nobis nota sunt, ut frequens demonstratiui pronominis repetitio *istic ... hunc ... hic ... hic illi ... ille*, et aduerbi aridissima, ut inlitterati cuiusdam rustici iteratio, quae est *postea ... postea ... post*, et *praesente multis*, uerbis nulla cura connexis enuntiatio, et totus locus per λέξις εἰρημένην, quam appellant, expressus. Sed locum operae est pretium totum referre:

Rhet. Her. IV 11,16 Qui non possunt in illa facetissima uerborum attenuatione commode uersari, ueniunt ad aridum et exangue genus orationis, quod non alienum est exile nominari, cuius est hoc: "Nam istic in balineis accessit ad hunc; postea dicit: «Hic tuus seruus me pulsauit». Postea dicit hic illi: «Considerabo». Post ille conuicium fecit et magis magisque praesente multis clamauit.

Hunc autem locum equidem post J. Marouzeau (*Traité*, p. 195) et J.B. Hofmann (*Umgangssprache*⁴ 206; Ricottilli 1985 [apud Hofmann]: 464) consideraui (G. Calboli 1994: 31–35) et A.D. Leeman (*Orationis Ratio* 30) confutauit, qui negauerat, Latinum 'uulgarem' ab Auctore hic adhibitum esse, qui contra, ut ille credebat, cottidiano sermone usus esset, sed duabus tribus lineolis infra, sese ipse refutans, Auctorem contenderat in IV 11,16 magis uulgari lingua usum esse quam in IV 10,14. Dein Marx contendit uulgarem Auctoris linguam fuisse, quae Plautum hic illic recineret. Sed Plauti sermo a Cicerone ipso (*de orat.* 3,45) magni aestimatus est. Quod autem multis uocabulis abstractis, ut uocant, in *-io* desinentibus Auctor usus est, non id esse Golla ostendit (*Sprachliche Beobachtungen* 92) uulgari loquendi consuetudini adscribendum, ut Marx (*Prolegomena* 168sq.) crediderat, sed suae cuiusque artis linguae, ubi definitio-

81 Optime enim dixerim totam rem et Auctoris tempora a Georgio Golla (qui magistrum Guilelmum Kroll sequeretur) descripta esse: "Denn wir stehen ja erst an der Schwelle jener Zeit, die analogistisch und puristisch das sowieso vorhandene Streben nach einheitlichen, festbestimmten Konstruktionen außerordentlich begünstigte und die bunte Fülle von Formen, Konstruktionen, Ausdrucksweisen uniformierte und regelte (vgl. auch Kroll, Gl. XXII 14 f.)" (G. Golla, 1935: 71).

nes saepius occurrant, et uerba abstracta et generalia significantia opus sint. Vnum est autem hac ipsa in lingua mirandum, quod aut noua uocabula saepius aut ueterum uerborum nouae formae occurrunt. Quod insequenti exemplo cum confirmabitur, tum nobis succurrerit explicationis ad demonstrandam uiam:

*Rhet. Her. I 6,9 Tria sunt tempora, quibus principio uti non possumus, quae diligenter sunt consideranda: aut cum turpem causam habemus, hoc est, cum ipsa res animum auditoris a nobis alienat; aut cum animus auditoris **persuasus**⁸² esse uidetur ab iis, qui ante contra dixerunt; aut cum defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt.*

*Rhet. Her. I 6,10 Si **persuasus** auditor fuerit, id est, si oratio aduersariorum fecerit fidem auditoribus.*

*Cic. inu. 1,23 insinuatione igitur utendum est, cum admirabile genus causae est. id autem tribus ex causis fit maxime: si aut inest in ipsa causa quaedam turpitudine aut ab iis, qui ante dixerunt, iam quiddam auditori **persuasum** uidetur aut eo tempore locus dicendi datur, cum iam illi, quos audire oportet, defessi sunt audiendo.*

Participium, quod est *persuasus* a multis scriptoribus adhibitum esse inuenias, qui tamen tam bona et correcta Latinitate usi sint, ut Propertius (4,1,146) et Ouidius (*ars* 3,679) usi sunt, ut hunc usum uulgarem esse nullo modo probetur. Nam haec forma, naturali quodam linguae Latinae tamquam cursu confecto, apud multos scriptores inuenitur, qui sunt alii uulgares ut Auctor, *Belli Afr.* 55,1 et Petronius, 85,1 (qui uulgarem sermonem iocandi gratia imitatus est), alii admodum bona et correcta Latinitate utuntur. Actiuum uero *persuadere aliquem* iam apud Ennium legitur (*incert. 4 quis te persuasit?*), dein apud Christianos auctores reperitur. At adiectiuum *persuasus* facilius in usum uenisse consentaneum est, quam uerbi finiti formas, qualis est *aliquem persuadere*. Sed Cicero ipse hunc uerborum usum explicauit, scilicet cum de iis uerbis temporalibus egit, quae cum datiuo coniungi bona Latinitate consuissent, sed nonnumquam accusatiuum admisissent:

Cic. Tusc. 3,20 ab inuidendo autem inuidia recte dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen inuidiae. quod uerbum ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Melanippo:

“quisnam florem liberum inuidit meum?”(Acc. fr. 424 Dangel, p. 214)

male Latine uidetur, sed praeclare Accius; ut enim “uidere”, sic “inuidere florem” rectius quam “flori”. nos consuetudine prohibemur; poeta ius suum tenuit et dixit audacius.

Vt igitur *consuetudine* una, id est *anomaliam*, Cicero accusatiuum *florem* pro datiuo *flori* admittere uetabatur, ita ratione⁸³, id est *analogia*, Accio permissum erat, ut nouam uocabuli formam, *florem*, introducere auderet. Item *suadeo* nonnumquam

82 Eadem uerba et easdem litteras, lineis subductis, signaui, similia, crassioribus litteris factis.

83 Varro, *ling.* 10,1, ἀναλογίαν Latine rationem appellasse uidetur, qui scripserit: *ratio, quae a similitudine oriretur, uocaretur analogia.*

cum accusatio pro datiuo coniunctum est⁸⁴ (cf. Kühner-Stegmann, *Ausf. Gramm.* I³ 103). Quin etiam Marcus ipse Tullius semel *persuadendi* notioni accusatiuum pro datiuo subiecit (aut subiecisse codicibus traditur)⁸⁵, quamquam in una ex iis orationibus, quas iuuenis habuit, in ea nempe oratione, qua Tullium defendit (ad §39), quae anno septuagesimo primo a.Chr.n. (71), Ciceronis igitur fere trigesimo quinto aetatis anno (35):

Cic. *Tull.* 39 *Haec cum praetorem postulabas, cum tribunos appellabas, nempe ita dicebas, potestatem tibi fieri oportere, ut, si posses, recuperatores persuaderes non esse iniuria M. Tullio damnum datum / recipatores T(aurinensis Palimpsestus) recuperatoribus* Beier⁸⁶.

Neque casu profecto accidit, ut accusatio potius quam datiuo duobus aliis locis, uerbis aliis duobus adhibitis, Auctor uti maluerit:

Rhet. Her. II 17,26 *Haec causa iudicialis fieri non potest [...], sed quod potest uel ad senatum uel ad consilium uenire, non uisa est supersedenda*⁸⁷.

Rhet. Her. II 30,48 *an ad inferiores, qui his omnibus rebus antecelluntur.*

Hoc tantum loco *antecellendi* notionem ab Auctore *ad Herennium* adhibitam esse inuenias, ante *Rhetoricam ad Herennium* a Cicerone modo, sed, datiuo casu adiuncto, *inu.* 1,5 *ipsis hominibus antecellat* (cf. *Th.L.L.* II 145,76–146,57). Vt enim suo loco contendi, Ciceronis Libros Rhetoricos ante *Rhetoricam ad C. Herennium* ego conscriptos puto.

Praeterea etiam in nominibus analogiae uestigia inuenimus. Occurrit igitur datiuus femininus singularis *totae rei* pro *toti rei* in IV 48,61, ut Mutilus codicibus, Frisingensi et Bernensi 469 II tradita lectio est, quae a Kayser, Marx, Caplan, Calboli 1969, Achard, Müller accepta est: *Rhet. Her.* IV 48,61 *Non enim res tota totae*⁸⁸ *rei*

84 Qua de re cf. G. Calboli, "Linguistique et rhétorique" 44–52.

85 Haec constructio Palimpsesto Taurinensi tradita est, qui incendio Bibliothecae Taurinensis – dolet – combustus est. At Peyron eum descripserat, editione anno 1824 facta, litterarum quoque formis delineatis. Quas formas C.M. Francken (*Mnemosyne* 11, 1883, 374sq.) considerauit, iisque attente perpensis et cum uetustissimis comparatis, scripsit, quamquam palimpsestos codices membranaceos non ante quartum uel quintum saeculum exaratos esse credatur, litteras huius palimpsesti ad exemplaris formas uetustissimas delineatas uideri: fieri enim posse, "ut librarii calligraphi antiquas litterarum formas studio expresserint". Nam litterarum specimina huius codicis, a Peyron depicta, "repraesentant rationem [scribendi] uetustissimam".

86 Quam correctionem Beier coniecit. Eam non Clark modo recepit, etiam a Neue-Wagener, *Formenlehre* III³ 5, acceptam uidemus. Hac tamen Ciceronis lingua regulis nostris (incertis) subiectam esse apparet. *Persuadendi* autem notionis cum accusatio (non datiuo) coniuncti exempla plurima collegerunt Neue-Wagener, *Formenlehre* III³ 4–5, nec quisquam plura collegit, cf. etiam Hofmann-Szantyr 33 et *Th.L.L.* X 1, 1767, 49–67 (ubi tamen nimis pauca exempla inuenias).

87 *Rhet. Her.* II 19,30 *Est cum complexione supersedendum est; ib. tum et exornatione et complexione supersedendum est; II 22,34 hac quoque ab ultimo repetitione in expositionibus magnopere supersedendum est; Cic. inu.* 1,28 *uerborum multitudine supersedendum est; 2,57 exemplorum multitudine supersedendum est.*

88 Litteras crassiores notandi causa, ut consueui, feci.

necesse est similis sit. Lectio *totae* a Prisciano quoque, *gramm.* II 197, confirmatur et certa est, tametsi in **E** codicibus *toti* legimus, quae est certa emendatio. Hanc formam autem datiuum, non genetiuum esse, idcirco probatur, quod in *Rhetorica ad C. Herennium* genetiuus undecies semper per *totius* formam occurrit. Alia testimonia a Neue-Wagener, *Formenlehre* II³ 530, allata inuenias⁸⁹. Neque haec forma, scilicet *totae* duabus a formis separanda est, quae item ab analogia originem deduxerunt: *Rhet. Her.* II 11,16 *Nos uero arbitramur [sc. cognitionem amphibolarum] non modo nullo adiumento esse, sed potius maximo impedimento.* II 13,19 *Ea saepe diuersa sunt, ut aliud alio iudici aut praetori aut consuli aut tr. pl. placitum sit.* Hunc Auctoris usum etiam a Prisciano, in arte grammatica uere principe, consideratum esse praeterire nequeo, praesertim cum huic quaestioni explicandae abhinc multis annis operam dederim. Non inutile igitur mihi uidetur ea ipsa referre, quae tum (1993b: 15–16) Theotisco sermone conscripsi, nisi quod pro uetere apparatu nouum substitui, quem suo loco inuenias et hic iterum, ut commode reperiatis, posui:

Prisc. *gramm.* II 197,16–198,1 *Idem [sc. Cicero] ad Herennium VI: ‘non res tota totae rei necesse est similis sit’.* Priscian gibt die Stelle wegen der Form *totae*.

Rhet. Her. IV 48,61 *Non enim res tota totae rei necesse est similis sit, sed id ipsum, quod conferetur, similitudinem habeat oportet.*

// *totae* **HBPIICFAZcoOgpB^s** edd. *toti* **LfVablduB^{nh}** *id ipsum quod conferetur* **HBP¹Cg¹** Kayser (*conferetur* Kayser) Marx Caplan Calboli '69 Adamik Achard Müller Nüßlein *id ipsum ad quod conferetur* **g²** *ad ipsum ad quod conferetur* **P²FAVa²b²op** *ad ipsam ad quam conferetur* **L** *ad ipsam ad quod conferetur* **Z** *id ipsum quod conferetur ad ipsum quod conferetur* **c** *ad ipsum quod conferetur* **fa¹B^sB^u** *ad ipsum quod conferetur* **Pb¹ldu²** *id ipsum ad quod conferetur* **Onh** *ipsum quod conferetur* **u¹** *oportet* **BPIICFLAZfVcabldoOgpub^sB^{nh}** edd. *oportet* **H**

Die Herenniusrhetorik IV 48,61 in den modernen Ausgaben von Kayser, Marx¹⁻², Caplan Achard, Nüßlein und Müller enthält die richtige Lesart *totae* der Codices **Mutuli**. Die **Expleti** haben, soweit wir aus den Ausgaben kennen, *toti*.⁹⁰ Von den fünf von mir in Betracht gezogenen **Integri** geben **A**, **F**, **L**, und **Z** *totae*, der Vadianus (**V**) hingegen beweist hierbei wieder seine Nähe zu den **Expleti**, indem er *toti* gibt, obwohl wir wissen, daß der Vadianus, wie Zelser nachgewiesen hat, eine Verwandtschaft mit den **Mutuli** in den längeren Lücken und nicht nur in den Lücken beweist (vgl. dazu Zelser, *Zur Überliefe-*

89 Ex omnibus explicationibus, quas apud Sommer, *Hdb³*. 441 et 445, atque apud Leumann, *Lat. Laut- und Formenlehre* 481, et Ernout, *Morphologie* 97sq., inuenias, maxime probabilem et ueri simillimam Ernout protulit. Cum enim cuncti concedant datiuum in *ae* desinentem pro datiuo desinente in *ei* > *-i* et genetiuum in *i* pro *ius* analogia quadam cum thematibus in *o/e-* desinentibus natos esse, unus Ernout nos admonuit “les formes anciennes ne se sont maintenues que par l’influence des grammairiens”. Ei addendum fuit, grammaticos, cum uetera seruarent, anomalia, cum noua efficerent, analogia usos esse. Ceterum Caesar, ut analogiae amator, analogiam usurpare consueuit et idcirco **nullo** (datiuo casu) pro **nulli** eum scripsisse uidemus (Caes. *Gall.* 6,13,1; *ciu.* 2,7,1; item Sall. *Iug.* 97,3 et Cic. *Quinct.* 5).

90 Die Variante *toti* geben auch **f** und andere Handschriften, die der **Expleti-Klasse** zu zuschreiben scheinen [jetzt 2016 schreibe ich die **f** Handschrift lieber der **Integri** Familie zu].

rung 186 ff.) [et Taylor 1993b: 114sq. et 130, probauit Vadianum Integrorum familiae adscribendum esse, ut iam Stückelberger crediderat; quod Spallone 1997: 111, accepit]. Dazu vgl. besonders A. Hafner, *Untersuchungen*, S. 160–170; 245–366, und sein Stemma Codicum auf S. 174. Was diese Stelle angeht, betrachtet Hafner (*Untersuchungen*, S. 148) die Lesart *toti* für einen Bindefehler zwischen dem Vadianus und γ (d.h. die von ihm berücksichtigten **Expleti**). Von den Vaticanis und Vindobonensibus Palatini lesen *totae*: Ottob. Lat. 1190, Ottob. Lat. 1864, Palat. Lat. 1464, Palat. Lat. 1522, Borgh. 84, Chig. H VI 179 [diese Handschrift gehört zweifelsohne der **Integri**-Familie an], Vindob. Pal. 193, Vindob. Pal. 227, Vindob. Pal. 240; *toti*: Urbin. Lat. 1144, Vindob. Pal. 157, Vindob. Pal. 276. So muß man sehr vorsichtig sein und man darf nicht behaupten, daß alle **Expleti** die Lesart *toti* geben. Und dies beweist, wie kompliziert und im allgemeinen noch unsicher trotz der verdienstvollen Arbeiten von Hafner, Stückelberger, Spallone, Zelser und Taylor die Überlieferung der Herenniusrhetorik bleibt. Außerdem findet sich in diesem Fall ein weiteres Argument für die Annahme von *totae*, abgesehen von der ‚lectio difficilior‘, in dem ‚usus scribendi‘ der Herenniusrhetorik. Denn es handelt sich um eine alte Form, die gegen die jüngere *toti* durch die Analogie wiedereingeführt worden ist. Daß der Auctor der *Rhetorica ad Herennium* diese Ausdrucksformen liebt, geht durch den Gebrauch von *alio* (Dat. Sing.) in II 13,19 und *nullo* (Dat. Sing.) in II 11,16 hervor. Der analogistische Charakter von *nullo* ist seinerseits durch den Gebrauch erwiesen, den von dieser Form ein Analogist wie Iulius Caesar gemacht hat (*Gall.* 6,13,1; *ciu.* 2,7,1 in einem Teil der handschriftlichen Überlieferung, vgl. Neue-Wagener, *Formenlehre* II³ 528)“.

Singulari autem testimonio analogiam ab Auctore adhibitam esse confirmatur (et a Marco Tullio in *Libris Rhetoricis*), quod apud Paulum (Diaconum) Festum inuenias, et mihi a discipulo optimo, Dr. Ramone Gutiérrez González, qui Festo iam diu operam dare consuevit, monstratum est. Hoc autem testimonium ex locutione *cognitu facilior* constat, in qua supinum, quod est *cognitu*, a Festo grammatico per rationem (analogiam), aliis aliorum uerborum supinis eadem significatione comparatis, effectum esse putatur:⁹¹

Rhet. Her. I 3,4 *Nunc, quoniam una cum oratoris officiis, quo res cognitu facilior esset, producti sumus, ut de orationis partibus loqueremur et eas ad inuentionis rationem accommodaremus, de exordio primum dicendum uidetur.*

Rhet. Her. I 9,15 *nam quo breuior, dilucidior et cognitu facilior narratio fiet.*

Rhet. Her. II 1,1 *Verum, quod neque de omnibus rebus simul dici poterat et de maximis rebus primum scribendum fuit, quo cetera tibi faciliora cognitu uiderentur, ita nobis placitum est, ut ea, quae difficillima essent, potissimum conscriberemus.*

Cic. inu. 1,25 *Sin oratio aduersariorum fidem uidebitur auditoribus fecisse – id quod ei, qui intellegit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu – oportet eqs.*

Cic. inu. 2,30 *nam affectionis quidem ratio perspicuam solet prae se gerere coniecturam,*

91 Neque neglegendum est haec supina in *-u* desinentia casu datiuo effata esse uideri, cf. F. Sommer, *Hdb.*³, pp. 596sq.; M. Leumann, *Laut- und Formenlehre*, pp. 355; 442sq. (hic analogia quoque memoratur); locatiuum, ut ablatiuum specificationis intellectum, explicat R. G. Kent, *The Forms of Latin*, p. 137.

ut amor, iracundia, molestia, propterea quod et ipsorum uis intellegitur et, quae res harum aliquam rem consequatur, facile est cognitu.

Hanc locutionem raro postea a Tacito et Macrobio usurpatam esse uidemus:

Tac. Ann. 12,24,2 *et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu et publicis actis perscriptum.*

Macr. Sat. 7,12,5 *certe umorem sale differri siue consumi fit hinc cognitu facile quod, si duo panes pari magnitudine feceris, unum sale aspersum, sine sale alterum, inuenies indigentem salis pondere propensorem, scilicet umore in eo per salis penuriam permanente.*

Deinde in Commentariis ad Libros Ciceronis Rhetoricos et apud tardioris Latinitatis rhetoras hic usus occurrit:

De attrib. pers. et negot. 594,10 Halm Et ideo adfectionis quidem ratio perspicuam solet prae se gerere coniecturam, ut amor iracundia, propterea quod et illorum uis intellegitur, et quae res harum aliquam rem consequantur, faciles cognitu sunt.

Victorin. 155,20 Halm (p. 2,3–5 Riesenweber) *Animaduertere tamen debemus in principiis deliberationis propositionem, partes propositionis, executionem partium, postremam uero sententiam, quod diligenter attendenti facile cognitu est.*

Alcuin. p. 537,29 Halm *Nam affectionis quidem ratio perspicuam solet prae se gerere coniecturam, ut amor, iracundia, molestia, propterea quod et ipsorum uis intellegitur, et quae res harum aliquam rem consequantur faciles cognitu sunt.*

Hunc autem usum rationi (id est analogiae) adscribendum esse Festus, a Paulo seruatus, ut supra diximus, nos docet, quod insequenti loco comprehenditur:

Paul. Fest. p. 52,6–7 L. *Cognitu facilia eadem ratione dicitur, qua dictu facilia, et perspectu et factu facilia.*

Glossa ex collectione 38 procedit (si numeros sequimur quos Bona 1982 adposuit, ubi etiam glossa ex collectione 38 procedit); ibi altera Series Glossarum Catonis, quibus auctor noua Catonis uerba considerat et per analogiam explicat, exempli gratia:

Paul. Fest. p. 81,28–29 L. *Falsius et falsior cum ratiōabiliter dici possint, non tamen sunt in consuetudine.*

Non equidem ignoro, quaestionem nunc oriri, utrum uocabulo, quod est *ratio*, similitudo tantum, generali significatione expressa sit, an speciali, qua ratio nihil aliud quam grammaticorum analogia sit. Mihi quidem uidetur alterum de his duobus, id est specialis significatio tribus de causis ueri similior esse: (1) primum quod re uera ratio ut analogia adhibita est, tum (2) quod ἀναλογία *rationem* Romani uocarunt (Varro, *ling.* 10,1 *ratio* (v. supra, adn. 83); *Th.L.L.* II 15,77–16,27; Mart. Cap. 3,290 *proportio*; Gloss. *ratio uerborum*) (3) denique, quod idem Paulus Diaconus, insequenti loco (quem item collegit mihi que transmisit R. Gutiérrez González) aduerbium *ratiōabiliter* laudauit, quod uocabulo *consuetudini* ita opponeret, quasi esset *analogia* opposita *anomaliae*, ut Varro eadem oppositione usus est.

Denique Auctor ueritus non est nouum uocabulum, *ampliugum* (*Rhet. Her.* III 19,31) struere, quod ex simili uocabulo constructum esse uidetur, quod est ‘*soliuagus*’. *Soliuagum* enim uocabulum a Cicerone nonnullis locis adhibitum esse uidemus (*Cic. rep.* 1,39; *Tusc.* 5,38; *off.* 1,157), quae omnia illa quidem posteriora sunt, sed illo ipso tempore, quo Auctor uixit, in usum uenisse consentaneum est. Nempe ‘*soliuagus*’ usque ad Martianum Capellam (1,40) et Fortunatianum (*rhet.* 3,3 Calb. Mont.) surculos protulit suos, ‘*ampliugus*’ ab uno Auctore adhibitum esse apparet, sed per conglutinationem (et per ἀναλογίαν ausim addere) effectum esse Fortunatianus ipse testatur: Fortun. *rhet.* 3,3, Calb-Mont. *Verba quibus modis novantur? primo Graeca transferimus, ... dehinc per conglutinationem, ut Cicero [Tusc. 5,38] ‘feras solivagas’ ait, et per derivationem novare possumus, ut ab autumno Cato [agr. 5,8] ait ‘autumnitatem’ et a perpetiando Cicero [inu. 2,163; Rab. perd. 16]⁹² ‘perpessionem’.* Quae omnia Lucia ipsa Montefusco comiter me admonuit. Haec autem cum iis bene concinunt, quae Auctor (IV 31,42) de nouis uocabulis struendis sensit (cf. infra).

Neque silentio praetereundum est, his locutionibus plebeium sermonem cum grammaticorum exquisito ἀναλογίας nomine quodammodo commixtum esse. Cur Caesar, qui C. Mari heres esse uellet, nihili hoc fecerit? Quidni analogiae Alexandrinorum studio tantillum addiderit? Ceterum analogiam plebis fautorum fuisse propriam negare non dubitauerim, qui oblitus non sim Cornelium Sisennam analogiam ita adamasse, ut ea etiam cum causam peroraret quam minime opportune uteretur⁹³. Fuit enim Sisenna Sullae certissimus fautor. Quamquam semper et ubiuis? Ernestus Badian (“Waiting for Sulla” 212–214), ostendit Sisennam haud parum haesitasse et ad Sullam non prius inclinasse, quam cum, L. Cornelio Cinna interfecto, Sulla iam iam rerum potiturus esset⁹⁴. Praeterea aliter Sisennam atque Sullam de somniis atque diis sensisse, cum Sisenna somniis disputasset credi non oportere (*Cic. diu.* 1,99), et de diis non aliter atque Epicurus sensisse uideatur (frg. 123 Peter², 123 Chassignet, 128 Barabino)⁹⁵, Sullam contra somniis credidisse et a diis se adiutum esse putasse (cf. G. Calboli, “Su alcuni frammenti di Cornelio Sisenna” 158sq.). Libere igitur Sisenna, quod ad studia et grammaticam spectaret, uidetur fortasse se gessisse, sed omnibus consideratis non satis dixerim nobis notitiarum praesto esse, ut hanc quaestionem satis probabiliter soluamus. Simpliciore profecto apparet esse quaestionem, quid de nouis uerbis Auctor sensisse uideatur, cum analogiae cultores consentaneum sit

92 Cf. L. Calboli Montefusco: Cons. Fortun. *Ars Rhet.* p. 430.

93 Cf. G. Calboli, “C. Ruscus, accusator uetus et ignotus” 1990. Cum uero Sisenna aduersari argumenta nihili aestimanda esse diceret, ueritus non est nouum et inauditum uocabulum condere et aduersari argumenta ‘*sputatitica*’ uocare.

94 Cf. G. Calboli, “Su alcuni frammenti di Cornelio Sisenna” 159sq.

95 Sisenna, frg. 123 Peter² Chassignet *Vtrumne diui cultu erga se mortalium laetiscant an sperna agentes humana neglegant*, cf. M. Chassignet, *L’annalistique romaine*, tome III, p. 219. Quamquam nonnulli (a Chassignet citati) haec Epicuri doctrinam recinere putarunt, equidem prudentius me egerim, sed negare non possum, id ipsum, quod hac de re quaestio poneretur, ut Ennius posuerat (sc. 316–318), Epicuri eiusque scholae proprium esse uideri. Cf. etiam G. Calboli, “Su alcuni frammenti di Cornelio Sisenna” 158.

cum iis facilius facere, qui uerba noua in linguam Latinam introducere non repugnant: hac quoque de re primo aspectu Caesarem, analogiae cultorem, difficultatem affert, qui scripserit, ut Gellius 1,10,1 retulit: *uiuē ergo moribus praeteritis, loquere uerbis praesentibus atque id, quod a C. Caesare, excellentis ingenii ac prudentiae uiro, in primo analogiae libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut tamquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens uerbum*. C. Caesar uidetur igitur hortatus esse, ut noua uerba uitarentur. Cur? Abhinc multos annos, nempe 1962, id est abhinc annos quinquaginta sex hac de re attentissime egi et omnia collegi, dein anno 2013 iterum de C. Caesaris libris, qui sunt *De analogia* egi et C. Caesarem probaui cum Auctore *ad Herennium* fecisse, quod ad uerbi (ὀνόματος) et uocabuli (προσηγορίας) distinctionem pertineret. Quod uero ad noua uerba attinet, non aliter nunc concluderim, atque tunc conclusi: “Riepiologando, quindi, diremo che l’analogia di Cesare è di fronte a quella di Sisenna più disposta a concedere qualcosa alla *consuetudo*, perché è in una fase in cui il contrasto del primo urto è stato già superato; probabilmente Cesare aveva una dottrina più completa, attinta dal maestro Antonio Gnifone che gli permetteva di tener conto anche della *consuetudo*, come Aristarco⁹⁶, aveva cioè la possibilità di dominare meglio il contrasto; inoltre partiva da una posizione atticistica con interessi non esclusivamente linguistici, ma anche oratori (oratorio è il contrasto con Sisenna [qui enim aduersari, C. Rusi, risum mouit et totius coronae, a C. Rusio sollicitatae]) e, quindi, doveva bandire un metodo di troppo spregiudicata innovazione” (G. Calboli, *Studi Grammaticali* 220sq.). Sed Auctor *ad Herennium* clarius aperuit, quid de nouis uocabulis introducendis et quando et quomodo, sentiret:

Rhet. Her. IV 31,42 De quibus exornationibus nominatio est prima, quae nos admonet, ut, cuius rei nomen aut non sit aut satis idoneum non sit, eam nosmet idoneo uerbo nominemus aut imitationis causa, hoc modo, ut maiores rudere et mugire et murmurari et sibilare appellarunt, aut significandae rei causa, sic: “Postquam iste in rem publicam fecit impetum, fragor ciuitatis in primis”. Hoc genere raro est utendum, sic ut ne noui uerbi adsiduitas odium pariat; sed si commode quis proferat et raro, non modo non offendet nouitate, sed etiam exornabit orationem (quod attinet ad textum cf. App. ad p.338–340).

Nunc tamen, quo non modo definitione, sed sermone ipso, quid Auctor senserit et effecerit clarius appareat, noua uocabula enumerauero, quibus in *io* exeuntibus, Auctor usus est, quae sane multa esse apparebit, cum abstracta saepius adhibere Auctor, in artis rhetoricae regulis et praeceptis exponendis coactus sit (ex G. Calboli, *Studi Grammaticali* 229sq.):

Abscisio (IV 54,67 = ἀποσιώπησις, *Th.L.L.* I 152; **adceleratio** (III 13,23 *Continuatio est orationis enuntiandae adceleratio clamosa*, *Th.L.L.* I 271,81, praeter *Rhet. Her.*, Ps. Ambr. mans.

96 Varro enim, *ling.* 9,1, scripserat: *Aristarchus de aequabilitate cum scribit † et de, uerborum similitudinem qua[ru]ndam <in> inclinatione[s] sequi iubet, quoad patiatu[r] consuetudo* (ita legunt Götze-Schöll). His omnibus de rebus summa doctrina acutaque mente optime egit Alexander Garcea, 2012: 83-109, cuius introductio ad Caesaris *De analogia* dignissima est, quam et legamus et attente meditemur.

26 (Migne 17,30). Hil. in psalm. 119,18); **adnominatio** (IV 21,29, et al., = παρονομασία, Th.L.L. I 1353, 46, praeter Rhet. Her. Quint. inst. 9,3,66. Ps. Rufin. 51,23–32 Halm; **adrisio** (I 6,10, Th.L.L. II 643, 68–71, praeter Rhet. Her., Cael. Aurel. acut. 2,37,214); **adsimulatio** (IV 37,50, Th.L.L. II 895, 54–71, post Rhet. Her. rursus apud auctores aetate posteriores); **adtenuatio** (II 2,3; IV 1,16; IV 21,29, Th.L.L. II 1125, 5–20) Seru. Aen. 9,780; Paul. Nol. epist. 19,4; Cael. Aur. diaet. 60); **confutatio** (I 3,4; II 30,47, al., Th.L.L. IV 270, 67–81, rursus apud auctores aetate posteriores); **effictio** (IV 49,63 *Effictio est, cum exprimitur atque effingitur uerbis corporis cuiuspiam forma / effictio V²B²o²B^h* Aldus Kayser (*Ecfictio* Kayser) Marx Bornecque Caplan Calboli '69 Adamik Achard Nüßlein Müller *effectio* reliqui a me adhibiti codd. (cf. *App.*, ad p.373); quod si nollullorum codicum et Aldinam et editorum lectionem acceperis, uocabulum erit ἄπαξ εἰρ. cf. Th.L.L. V 179, 74–77); **elaboratio** (IV 22,32, Th.L.L. V 318, 20–27; Hier. epist. 34,2,1; Aug. ord. 1,2,4; Iul. Firm. math. 5,1,2); **exsuscitatio** (IV 42,55; IV 43,56 *et exsuscitatione*, cf. *App.* ad p.363; Th.L.L. V 1961, 21–31; Vet. Lat. III *Esdr.* 5,62 [Colbert.]); **exuperatio** (I 6,10; IV 53,67 = ὑπερβολή, Th.L.L. V 1954, 11–24 (rursus apud auctores aetate posteriores); **inapparatio** (II 4,7 *si [...] ex altera parte uires, pecunia, consilium, scientia, apparatio uidebitur esse, ex altera parte inbecillitas, inopia, stultitia, imprudentia, inapparatio demonstrabitur fuisse*; Th.L.L. VII 831, 59–62, ἄπαξ εἰρ. = ἄπαρρασκευασία); **instigatio** (II 30,47; Th.L.L. VII, I 1979,4–38; Gaius *Dig.* 5,2,4; Lact. *inst.* 4,18,6; 5,19,2); **maturatio** (III 2,3, Ph. Thielmann, *De sermonis proprietatibus, quae leguntur apud Cornificium*, p. 91, ait hoc uocabulum esse ἄπαξ εἰρ.; cf. Th.L.L. VIII 492,12–13); **obambulatio** (III 19,31; Thielmann, *De sermonis proprietatibus*, p. 91; Th.L.L. IX,2 35,18–21); **perpolitio** (IV 13,18, Th.L.L. X,1 1655,9–11); **peruersio** (IV 32,44 [bis], Th.L.L. X,1 1857,68–1858,28; Mar. Victorin, *adu. Arium* 1,29; Tert. *adu. Marc.* 4,5; *Cod. Iust.* 7,47,1,1; al.); **pronominatio** (IV 31,42 = ἀντονομασία, Th.L.L. X,2 1915,47–52; Diom. *gramm.* I 458, 31; v. etiam Th.L.L. II 190, 75–191,7, s. u. *antonomasia*, Diom. *gramm.* I 458, 31); **sermocinatio** (IV 43,55 al. = διάλογος, Forcell. s. u. alia exempla affert ut Quint. *inst.* 9,2,31 et Gell. 19,8,2).

Quibus uoculis addenda uidentur *plenitudo* (IV 20,28, Th.L.L. X,1 2401,63–2405,65); et fortasse *fragor* (IV 31,42, de quo egit S. Boscherini, “I nomina actionis in -or”, *Studi Italiani di Filologia* 31, 1959, 117sq., qui tamen dubitat, utrum hoc uocabulum ab Auctore introductum sit necne (quamquam *fragor* ante *Rhet. Her.* nusquam apparet (Th.L.L. VI 1333,37)).

Insequenti autem exemplo analogia, nullo sermone rustico aut exili commixto, adhibita esse uidetur:

Rhet. Her. IV 8,12 *Quid agere ausi sunt aut cogitare possunt? Quo pacto hostis, reuulsis maiorum sepulcris, deiectis moenibus, ouantes inruerent in ciuitatem; quo modo deorum templis spoliatis, optimatibus trucidatis, aliis abreptis in seruitutem, matribus familiis et ingenuis sub hostilem libidinem subiectis urbs acerbissimo concidat incendio conflagrata.*

// *matribus familiis* HP¹II Marx² [sed v. Trillitzsch, ad p. 201] Calboli '69 *matribus familias* BP²CLAFVZfc(familiis sup. lin. c)bdlgoOpaB^unhU Kayser Marx¹ Caplan Adamik Achard Nüßlein Müller *ingenuis* HBPFVfoOB^unhU *ingeniis* kr

Quodsi lectio *familiis* recta est, ut ego quidem ipse credidi (cf. *Textum* ad p.294), qui eam receperim, *familias* reiecerim, lectio, quae est *familiis*, cum Cic. S. Rosc. 48 et Cic. Verr. 2,3,183 (*patribus familiis*) conferri potest (qua de re cf. Landgraf, *Kommen-*

tar Pro Rosc. 109sg.; Neue-Wagener, *Formenlehre* I³ 13f.; Wackernagel, *Vorlesungen* I² 53; Löfstedt, *Syntactica II* 107). Quam constructionem Wackernagel et Löfstedt iure excludunt uulgaribus in textibus hic illic apparere et hanc constructionem adsimulationi adscribunt, quae ex similitudine constat, ut ex similitudine analogia ipsa constat. Item simile, si non ipsa analogia, aliis locutionibus struendis praefuisse uidetur:

Rhet. Her. IV 46,59 *melior imperator nouus, qui accipit exercitum, quam ille, qui decedit; [...] Hoc [...] dici potuit hoc modo: «Dicitur minus bonos imperatores a melioribus exercitus accipere solere».*

Impersonalis, quam appellant constructio, id est AcI, post personalem (NcI) introducta est, ut satis luculenter G. Calboli, *Studi Grammaticali* 1–115, probauit et ea scribendi consuetudine confirmatur, qua, si duas enuntiationes infinitiuas sumpseris, quarum prima per Nominatiuum cum Infinitiuo (NcI) expressa sit, altera, etiamsi ex eodem dicendi uerbo pendeat, quo prima per NcI significata sit, per accusatiuum cum infinitiuo (AcI) emittatur. Tanta fuit consuetudinis uis, qua accusatiuus cum infinitiuo (AcI) in infinitiuis enuntiatis imponi consuesset:

Cic. *de orat.* 2,299 *quidam doctus homo [...] accessisse dicitur eique [sc. Themistocli] artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitus esse se traditurum; cum ille quaesisset, quidnam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminisset; et ei Themistoclem respondisse eqs.*

Quod ad impersonalem constructionem pertinet (AcI), animaduertamus oportet, impersonalem constructionem cum formis *dicendi* notionis finitis, ut uocant, primum apud Auctorem *ad Herennium*, IV 46,59, inueniri, cum formis uero infinitiuis, id est cum participio perfecti, AcI iam a Terentio adhibitum esse, *Andr.* 796 *in hac habitasse platea dictumst Chrysidem*, quod facilius accidere potuisse consentaneum est, ut re uera apud auctores ueteris Latinitatis iam accidisse uidemus cf. G. Calboli, *Studi Grammaticali* 107.

Nunc ad aliud exemplum analogiae ueniam: uerba temporalia, quae deponentia appellantur passiuia significatione enuntiata nonnumquam sunt, quibus notionibus quamque bona Latinitate non oportet dicam, quoniam hanc rem luculenter iam Petrus Flobert exposuit (*Les verbes déponents latins* 343–380: *sequendi* notio ad p. 359), sed in *Rhetorica ad C. Herennium* id accidit, si deponens uerbum temporale passiuia significatione cum quo alio uerbo, recte passiuo facto, ita iunctum sit, ut ambo tamquam bigis pari et aequabili ratione procedant:

Rhet. Her. II 2,2 *Relicum uidebatur esse, ut ostenderemus [...] quales argumentationes, quas Graeci epicheremata appellant, sequi, quales uitari oporteret.*

Rhet. Her. III 3,5 *Sin fortitudinis retinendae causa faciendum esse dicemus, ostendemus res magnas et celsas sequi et appeti oportere.*

Philippus Thielmann (*De sermonis proprietatibus* 53), opinatus est hic *sequi* actiue positum esse, cum homines quosdam secutos esse cogitari posset. Sed haec explicatio iure iam a Neue-Wagener, *Formenlehre* III³ 89sq. reiecta est. Apparet enim infini-

tium in *i* desinens per analogiam cum infinitiuis passiuē positis introductum esse. Quod mihi aliquanto probabilius uidetur. Exemplis supra allatis, id euenisse, dum item, ut uidetur, euenit, demonstratur.

Negari igitur nullo pacto potest analogiam, quam recentiores cum assimilatione forsitan comparauerint, apud Auctorem *ad C. Herennium* quodam modo imperasse et per grammaticam, quam Auctor plurimi aestimasse uidetur, ad eius linguam conformandam haud parum contulisse. Quod disputatione, quam anno 2013, cum de Auctoris et I. Caesaris et Remmi Palaemonis grammatica agerem, sane luculenter me probasse gloriar. Sed pluribus locis maxime, cum haec facerem, fultus sum: eo quo Cornificius pollicitur (IV 12,17) se artem grammaticam esse scripturum et nonnullis aliis (I 12,21; II 12,17; II 28,45; III 4,7; III 20,33; IV 32,43), quibus probatur Auctorem nomen (ὄνομα) et uocabulum (προσηγορία) distinxisse illum quidem, sed eidem generi adscripsisse, ut Alexandrini grammatici facere consueuerant (cf. G. Calboli, *Studi Grammaticali* 169–206; Eund., “Grammatica e stilistica tra Varrone e Quintiliano” 37–50). Quaerendum est autem, num analogia idem quodammodo effectum sit, quod Latino demisso sermone, cum ambo noua quadam ueste linguam Latinam induere uoluisset, et cum duobus itineribus eundem quodammodo tenuisse cursum uideantur. Sed non isdem impedimentis septam inuenerunt uiam, cum analogia a doctis uiris libenter accipi et posset et consuisset, clauderentur autem demisso sermoni in bonae Latinitatis Urbem introeundi portae (urbanus sermo non fuit rusticus)⁹⁷.

Alium autem nexum in *Rhetorica ad C. Herennium* agnoscere licuit, nempe cum Graeca Comoediae lingua. Relationis genetiuis (‘Genetiv des Sachbtreffs’), qui cum *iudicandi* notionibus coniungi soleat, et in *Rhetorica ad Herennium* et apud Menandrum et Terentium ad finem significandum occurrit:

Rhet. Her. I 16,26 *Cum dicat Orestes se patris ulciscendi matrem occidisse, rectumne fuerit sine iudicio a filio Clytemestram occidi.*

// *ulciscendi* HBP¹II(se patris HBP¹II)C¹ Marx Caplan Calboli '69 Adamik Achard Nüßlein Müller *ulciscendi causa* P²C²LFc(patris causa ulciscendi LFc)ZfAVabpuohU(se patris AVabpuohU)O(se patris se patris O)glazn

(hic eundem textum et apparatus refero quos postea in Textu inuenias: Lectio difficilior est *se patris ulciscendi matrem occidisse*, sine *causa*, quia librari et doctores Aetatis Mediae genetiuis relationis (des Sachbtreffs) nosse non potuerunt, neque Einar Löfstedt, Ernout et grammaticos recentiores umquam legerunt (de hac constructione cf. G. Calboli, “Latin Syntax and Greek” 83–93). Hic possumus certissime antiquam lectionem Auctoris *ad Herennium* a Mediae Aetatis correctione distinguere, sed hoc raro accidit.

Quod ad hoc exemplum et hanc constructionem pertinet, de qua diu multumque disputatum est, cf. G. Calboli, *La linguistica moderna e il latino* 157–163; Eund., “La-

⁹⁷ Cf. E.R. Ramage, *Urbanitas*, pp. 131sq.; et G. Calboli, *Nota di Aggiornamento a E. Norden*, pp. 1114–1118.

tin Syntax and Greek” 83–93⁹⁸, et, quas disputationes per libellos aut libros traditas ego numquam legere intermisi, dum recentioribus grammaticis cognoscendis operam do, eas legito, lector, attente. Primum exemplum, quod in lingua Latina inuenias, apud Terentium legas (Ctesiphon Aeschinum fratrem alloquitur, qui fratrem seruauerat):

Ter. *Ad.* 269sq. *uereor in os te laudare amplius,*
ne id adsentandi mage quam quo habeam gratum facere existumes.

Einarius Löfstedt (*Syntactica* I² 172), hanc constructionem a Menandro adhibitam esse memorauit, neque ego facere possum, quin cogitem Auctori, qui in Graecos inuehere ueritus non esset (*Rhet. Her.* I 1,1; III 23,38), Graecam constructionem accipere etiam atque etiam dubitandum fuisse. At Graecam rhetoricam et Graecum Orestis exemplum recepit (*Rhet. Her.* I 16,26), ut forsitan Latina uertendo faceret, quae Graeca inuenisset. Ceterum Terentius, ut supra uidimus, hac constructione usus erat (fuit autem Graece τοῦ cum infinitiuo), neque Auctor profecto curauit Terentium a Menandro hanc quoque structuram sumpsisse⁹⁹. E Graecis hanc locutionem sumptam esse equidem credo, seu ut nouum quid, quod Latinum non esset, adiungeretur seu, quo Graecis exemplis Latina et Italica iam constructio fulta in usum Latinum securius iniret¹⁰⁰.

Hic autem de constructione agam, qua probatur non modo exilis et cotidiani sermonis usum Auctori notum fuisse, sed tamquam huius linguae signum et exemplum adduci potuisse, cum de structura uerborum ageretur, quae non modo a nonnullis et uetustioris aetatis et minus correctae Latinitatis adhibita esset et etiam tunc adhiberetur, sed etiam minus cum analogia et dicendi attentata cura congrueret. Verborum enim comprehensionem, quae est *praesente multis* pro *praesentibus multis*, eo ipso loco reperimus, ubi Auctor exilitatis in dicendo adduxit exemplum:

Rhet. Her. IV 11,16 *Qui non possunt in illa facetissima uerborum attenuatione commode uersari, ueniunt ad aridum et exangue genus orationis, quod non alienum est exile nominari, cuiusmodi est hoc: “Nam istic in balineis accessit ad hunc”; postea dicit: “Hic tuus seruus*

98 Cum diligenter de hac constructione egissem, ita concludi (“Syntax and Greek” 93): “A different view can be developed for Livy and for the Rhetorica ad Herennium [...]. In both cases, the formulaic tradition of sacred and juridical language may have reinforced a usage which was, nevertheless, mostly a Graecism”.

99 Men. *Epitrep.* 524; *Perik.* 524 (qua de re cf. A. Martina: Menandro *Epitrepontes* II, 330sq., Schwyzer-Debrunner, *Griechische Grammatik* 132).

100 Ita explicauit hunc usum A. Ernout, *Philologica* 223. Sed Romani scriptores Graecos auctores non ignorabant et ante Comicos Romanos hanc constructionem nusquam inuenias (in inscriptionibus non prius quam in inscriptione inuenitur, qua Lex Acilia repetundarum (123 a.Chr.n.) tradita est). At relationis genetiuum cum iudicandi notionibus iam antiquitus coniunctum esse uiri docti putarunt, qui et in lingua Umbra (*Tab. Ig.* VI b 48 *sururo stiplatu pusi ocrer pihaner* “itidem stipulator ut arcis piandae”) inueniatur. Fieri igitur potuit, ut genetiuum cum iudicandi notionibus antiquitus adhibitus Graecae linguae tamquam auxilio fultus rursus in usum uenerit. Nihil uero cum Graeco usu commune habuisse uix credibile mihi esse uidetur.

me pulsauit". Postea dicit hic illi "Considerabo". Post ille conuicium fecit et magis magisque praesente multis clamauit".

Quam igitur explicationem Anna Luisa Castelli (1976), transformationalem grammaticam, quam appellant, secuta protulit, eam equidem non modo acceperim (quippe quam discipulae meae me suggessisse oblitus non sim), sed ea totam constructionis rationem explicari posse puto. Quodsi extrema regula neglecta sit, qua participium cum nomine congruere cogatur, id est qua participium ad nomen per rationem et analogiam adsimiletur, *praesente* cum *multis* aut *nobis*, minus congruere necesse iam erit. Sin regula subierit, participium oportebit cum nomine adsimiletur et *praesentibus multis* efficiatur. Quod et temporum et loquendi consuetudine moderetur oportet, dum orator contra communem aetatis usum ire prohibeatur, si quidem bonae Latinitati parere uelit. Auctor enim tunc hanc constructionem adhibuit, cum id ostendere uoluit, quam inepte et inconcinne indocti loquerentur. Qui ipse ea conditione uteretur, ut, bene Latine quid dicendum esset, plane nosset.

Nam Iulius Marouzeau nos docuit¹⁰¹ participium praesentis temporis a ueteribus Latinis prope ignoratum esse et Ciceronis et Caesaris aetate in usum uenisse. Videmus igitur antiquis temporibus Romae tam raro participium adhibitum esse, ut facile posset rigidius fieri et in praepositionem conuerti aut tamquam praepositio usurpari. Apud Plautum igitur inuenias, *Amph.* 400 *praesente nobis*¹⁰², apud ipsum Terentium (ex Plauti et aliorum comicorum exemplis ?) *Eun.* 649 *absente nobis*; Pompon. 47 *CRF*² Ribbeck, p. 232 *praesente amicis*, quod Donatus, *Ter. Eun.* 649, citauit una cum Varrone, *De serm. Lat.* V fr. 82 Wilmanns (Don. *Ter. Eun.* 649, *Th.L.L.* X, 2 838, 65 sq.) *id praesente legatis omnibus exercitu pronuntiat*. Iterum Pomponi 168 exemplum *CRF*² Ribbeck, p. 250 *Quidam apud forum praesente testibus mihi uendidit*; Afran. 6, *CRF*² Ribbeck, p. 165 *adeste, si hic absente nobis uenerit puer*; *Acc. Melan.* V, p. 212 Dangel *Est res aliqua quam praesente his prius maturare institit*. *CIL* V 895 (Augusti aetate) *astante ciuibus*; et alia tardiora quae collegerunt Hofmann-Szantyr, *Lat. Synt.* 445. Cum autem multa exempla apud antiquiores scriptores legantur, iure dici potest hanc constructionem ueterum esse propriam. Quodsi originem huius structurae quaesieris, addi potest iam pridem Eduardum Wölfflin¹⁰³ originem in legum sermone posuisse et praecipue in locutionibus ut *praesente Gaio ... Lucio*, quae potissimum in stipulationis formulis frequentarentur. Ita participio, quod rarius, ut Marouzeau

101 Participium praesentis Celtica in lingua euauit et Italicis in sermonibus semel Osca tantum in lingua apparuit, scilicet *praesentid* Tab. Bant. 21, ea igitur in lege, quae maxime Latino sermone adsimilata sit. Cf. J. Marouzeau "L'emploi du participe présent" 133–216, nunc etiam in *Quelques aspects de la formation du latin littéraire* 153–159, Julio Marouzeau adstipulati sunt J. Wackernagel, *Vorl. über Synt.* I² 290; Meillet-Vendryes, *Gram. Comp.* p. 618; Ernout-Thomas, *Synt.* § 287 p. 274, sed praecipue cf. Hofmann-Szantyr, *Lat. Synt.* 445.

102 Hoc exemplum a Nonio p. 76 L. adductum, non ab omnibus editoribus acceptum est, reiectum a Leo (cf. Hofmann-Szantyr, *Lat. Synt.* 445), acceptum a Lindsay.

103 E. Wölfflin, "Der Gebrauch des Ablativus absolutus", *Archiv für Lateinische Lexikographie und Grammatik* 13, 1902, 273.

ostendit, adhiberetur, tamquam per formulas rigidius factum, iungendi cum nominibus facilitatem amisisse et praepositionis uice functum esse. Quam facilitatem rursus inductam esse, cum scriptorum usu frequentius participium factum sit. Sed nonnullis in sermonibus, ut scaenicorum¹⁰⁴ et indoctorum hunc usum mansisse.

Quod autem ad Auctoris *ad Herennium* scribendi consuetudinem attinet, participium praesentis constructione, quae ablatius absolutus nominatur, rarius usurpatum esse uidemus: equidem non plus tria exempla ablatiui absoluti repperi neque plus decem participia praesentis temporis: I 12,21 *contra intercedentibus collegis*; I 13,23 *ipso praesente*; II 12,18 *alio quaerente*. Participia autem praesentis temporis haec in *Rhet. Her.* inuenias: I 15,25 *in matrem conferens crimen*; II 18,28 *conligens partes argumentationis*; II 20,33 *neque praeteriens in amorem incidere*; II 25,39 *utentem Chrespontem*; III 2,3 *ius unicuique rei tribuens*; ibid. *continens moderatio*; ibid. *instantis aut consequentis periculi uitationem*; III 3,4 *praesentem aut auditam memoriam*; III 4,7 *praesentem et consequentem*; III 15,26 *stantis*. In quarto autem libro quadraginta duo (42) exempla inueniuntur participi praesentis in ablatiuo casu, unum in genitiuo, quattuor in datiuo, septem in accusatiuo, duo in nominatiuo, quorum summa est quinquaginta sex (56), cuncta quattuor librorum exempla ad sexaginta sex (66) ascendunt. Satis igitur Auctor participium et hanc constructionem nosse uidetur, ut *praesentibus multis* et *praesente multis* dignoscere posset, minus tamen quam ut huius constructionis entropiam, quam appellant, deminutam aut amissam faceret et in redundantiam uerteret. Quo saepius enim uocabulum quoddam adhibitum est, eo minus attentionis requirit, ut mathematici nos docent, eo pluris igitur redundantiae retinebit et entropiam uitabit¹⁰⁵. Erat igitur Auctor, cum haec scriberet, tam attentus, ut optime inter *praesente multis* et *praesentibus multis* distinguere posset et *praesente multis*, ut indocti sermonis significationem, eligeret. Huc adde hanc constructionem Italico recentiore in sermone saepius ex uerbo temporali in praepositionem conuersam esse, ut *mediante*, *durante*, *rasente*, *tranne*, *nonostante*¹⁰⁶ praepositiones factas esse uidemus. Sed uerbo *nonostante* singulare quoddam docemur, quod nos ad meliorem explicationem huius structurae ducet: quae enim praepositio facta est, nonnumquam iam a Boccaccio in uerbum temporale iterum conuersa est, ut exemplis comprobatur, quae Seruator Battaglia (*Dizionario della lingua Italiana* XI 543) collegit: Bocc. *Dec.* 10–9 (I–IV 929) *Messer Torello, non ostanti i prieghi della sua donna e le lacrime, si dispose* eqs.; Carducci II 11–243 *non ostanti gli articoli del 'Corriere'* eqs.; Pirandello, 6–739 *Non ostanti le gravi difficoltà delle vie* eqs. Apparet igitur eum, qui loquatur, extrema regula, qua participium *ostante* quasi in praepositionem conuertat-

104 Non iniuria Auctor *ad Herennium* IV 10,14 huius scurrae uocem ‘*petulantem*’ definiuit, ‘*atque acerbam, pone scaenam* (id est obscaenam) *et in eiusmodi locis exercitatum*’, de quo cf. G. Mazzoli (1987); G. Calboli, “Latino volgare e latino classico” 30–34. Cf. etiam G. Calboli 2017b.

105 Cf. G. Herdan, 1962: 124–127; Eund., 1964: 174–177; Eund., 1966: 260–267; et exemplum, quod ego quidem ipse huius regulae et formulae, 1964–1965: 54–56, dare ueritus non sum.

106 Cf. G. Calboli – G. Moroni, *Grammatica Italiana* 310; G. Rohlf, *Grammatica Storica della lingua Italiana* III, p. 233.

tur, aut uti aut minus uti posse, ut ipse quidem uelit. Romae autem ab iis qui incondite loquerentur, nonnumquam *praesente* tamquam praepositionem adhibitam, eos contra, qui attentius sermone uterentur, participium seruare consuesse. Quo Italicae linguae usu hoc confirmatur, participium praesentis libere quodammodo construi idque ex temporis et auctoris uoluntate constare potuisse, Auctorem autem *ad Herennium*, cum ipse scriberet, participio tamquam uerbo temporali uti maluisse, quod praeterea ratione et analogia moderaretur, sed indoctorum usum tam bene nosse, ut *praesente multis* eadem ratione qua *antea, postea, hic, illic*, nempe indoctorum sermonis signis¹⁰⁷ uteretur, cum autem exemplum struxerit cottidiani et infimi sermonis, eo signo tamquam inurbani sermonis clarissima exemplum clauderet uoce.

Cum denique his duobus annis hanc constructionem iterum inuestigauit, qua ratione ab Auctore adhibita esse uideretur (Calboli 2017b), Auctorem ipsum animaduerti enuntiato, quod est *praesente multis*, id monstrare uoluisse, *friuolum* et *inliberalem* adhibitum esse sermonem, cur autem friuolus et inliberlis sermo fuerit, non aliter ab eo esse explicatum, nisi *puris et electis uerbis compositam* orationem non esse. Hoc igitur Auctori adscribendum putauit, utpote qui iam iam dicturus esset artem grammaticam sese conscribere uelle (IV 12,17) et ἀναλογίαν usquequaque (ut supra uidimus) sequi consuesset, ita autem consuesset, ut et a Plauto et Terentio et Pomponio et Terentio Varrone adhibitam constructionem (uide supra) cum perfecte *composita* oratione concinere negaret. Quod si quis rationem, id est ἀναλογίαν, sequi uoluisset, fuisse ei **praesentibus multis*, non *praesente multis* profecto scribendum, una tantum regula adhibita, ut Calboli (2017b: 8) transformationali, ut appellant, grammatica usus ostendi. Sed incondite scriptas has lineas ostendere uoluit et oppido luculente monstrauit. Ad summam, Auctoris *ad C. Herennium* linguam non aliam fuisse dixerim quam qua Marcus Tullius usus sit, nonnullis tantum libertatibus adsumptis, quibus libertatibus, ut ita dicam, Auctor, qui Alexandrinam grammaticam Rhodo ex insula Romam inlatam in Latinum uertere meditabatur, Alexandrinorum analogiae paruisse mihi quidem uidetur. Huc adde Graecam et ueterem constructionem, id est genetium relationis, Auctorem admisisse, quae cum iudicandi notionibus coniungeretur, et, iuridica lingua nonnihil frequentata Graecum iam odorem amisisset quamque Auctor, Latino usu magis iam Latinam, ut opinor, fecisset uel factam putaret. Idque non aliter Auctorem, contemptorem Graecorum, fecisse quam Graecam doctrinam rhetoricam uertendo Latinam fecisset.

Restat, ut quas exornationes uerborum et sententiarum Cornificius, quarto libro diligentissime descripsit, eas consideremus, non a Quintiliano modo, libris VIII et IX iterum esse descriptas, Graecis nominibus, pro quibus Auctor Latina substituerat, hic illic redintegratis, sed latissime esse diffusas, ita ut ars rhetorica paene tota ex iis pendere uideretur. Sapientius, ut ita dicam, nostris diebus se gessit, quantum nos quidem sentimus, Ilaria Torzi, quae has, ab Aristotele collectas primum figuras, a

107 Cf. de his infimi et cottidiani sermonis signis J.-B. Hofmann, *Umgangssprache*⁴ 125; G. Calboli, *Über das Lateinische* 190–196.

Theophrasto postea elaboratas et explicatas, ab Asianis deinde oratoribus Athenis et Rhodo in insula prope in artem per se ipsas redactas, ostendit non modo, quibus quantisque nexibus inter se colligatae fuerint (*Ratio et Usus* 2000), sed etiam quam frequenter a recentioribus seu poetis seu scriptoribus (*Cum ratione mutatio* 2007) adsumptae sint et ubiuis hodie quoque possint adsumi. Sed saecula multa inter nos et antiquos magistros intercesserunt, quibus simus et multa et magna nos quidem ipsi perdocti et artem rhetoricam non spernere, ut hodie mos est, sed multo pluris facere, quam inculti huius aetatis homines consueuerint, didicerimus.

10. *Quanti Rhetorica ad C. Herennium ultimis Imperi Romani annis, prima et extrema Media Aetate et Renatis Litteris facta sit.*

Hac de re praecipue egerunt: D.E. Grosser 1953; Manitius 1956; Alessio 1994; 2000; 2006; J. Ward 1972; 1995; 1995a; 2006; 2018; Calboli 2008.

Rhetorica ad C. Herennium extremis Imperii Romani temporibus maxime usu uenit et Media praecipue, quae dicitur Aetate. Laudata est ut Tullii Libri *ad Herennium* a Hieronimo (Hier. in *Abd.* PL 25, 1098 (anno fere trecentesimo nonagesimo quinto p.Ch.n., 395); *adu. Rufin.* 1,16), a Rufino ipso (*gramm.* VI 568,19: *Cicero ad Herennium*), a Grillio, 48,15sg. Martin (50,33 Jakobi), a Prisciano (Prisc. *gramm.* II 104,6–9; II 197,16–198,1; II 357,6sq.; II 523,24–524,1, qui scribit *Cicero* aut *Idem [Cicero] ad Herennium*). De his omnibus iam diligentius egi (G. Calboli, “Zur Textüberlieferung”, pp. 4–15). Hoc opus igitur ante annum 395 numquam, quod sciamus, laudatum est. Laudauit enim Marcus Fabius saepius Cornificium, sed hoc ad *Rhetoricam* pertinet *ad C. Herennium*, si modo *Rhetoricam ad Herennium* a Cornificio conscriptam esse credideris (G. Calboli, “Cornificiana 2”, pp. 2–56). Equidem uestigia quaedam detexi, quae nos ad Apuleium, philosophum Madaurensis, ducere uidentur, *met.* 4,35, ex quibus (cf. G. Calboli, “Further Comments on the Traditio of the *Rhetorica ad Herennium*” 122f.) hoc opus in Africa notum fuisse discimus, sed nihil amplius sunt quam uestigia. Neque Magni Wisén opinio (*De scholiis Rhetorices ad Herennium* 1905), nempe *Rhetoricae ad Herennium* commentarium a Grillio compositum esse, a Josepho Martin accepta est, qui eam sine ulla dubitatione reiecit (Grillius, p. XVII) – mihi quidem Josepho potius adstipulandum est uisum, cum etiam incertum sit, utrum quinto an sexto p.Ch.n. saeculo Grillius floruerit. Attentius est autem Hieronimus, ut mox uiderimus, considerandus:

Hier. *adu. Rufin.* 1,15–16 *Tamen in incertum respondebo, donec ad certa perueniam, et ἀντίζηλον meum docebo senex quod puer didici, multa esse genera dictionum et, pro qualitate materiae, non solum sententias, sed et structurarum uerba uariari.* 16. *Chrysippus et Antipater inter spineta uersantur, Demosthenes et Aeschines contra se inuicem fulminant. Lysias et Socrates dulciter fluunt. Mira in singulis diuersitas, sed omnes in suo perfecti sunt. Lege ad Herennium Tullii libros, lege rhetoricos eius, aut, quia illa sibi dicit inchoata et ru-*

*dia excidisse de manibus*¹⁰⁸, reuolue tria uolumina *De Oratore*, in quibus introducit eloquentissimos illius temporis oratores, Crassum et Antonium, disputantes, et quartum Oratorem quem iam senex scribit ad Brutum. Tunc intelleges aliter conponi historiam, aliter orationes, aliter dialogos, aliter epistulas, aliter commentarios.

Hoc autem Hieronimi loco dignum id est memoratu, ut Hieronimi bonus cognitor et commentator, Petrus Lardet animaduertit (1993: 80), Ciceronis libros de arte rhetorica ordine dispositos esse, sed *Rhetoricam ad C. Herennium* ante Marci Tulli libros, qui sunt *De inuentione*, collocatam esse, cum contra, recenti disputatione Caroli Lévy considerata (“Le myte de la naissance de la civilisation” 155–158),¹⁰⁹ *Rhetorica ad C. Herennium* uno duobusue annis post Ciceronis libros rhetoricos *De inuentione*, conscripta esse iure credatur. Quae fuit Media Aetate certissima opinio, qua Cicero putabatur per *Rhetoricam ad Herennium* (quae Marco Tullio ab omnibus adscribebatur) uetus suum opus *De inuentione* corrigere uoluisse, et per *Rhetoricam* nouam *ad C. Herennium*, ueterem substitutam rhetoricam esse, quae non ultra inuentionem idcirco uenisset, ut re uera Cicero in arte rhetorica exponenda non ultra inuentionem processit. Monet autem Lardet (*L’apologie de Jérôme contre Rufin*, p. 79) ex magnis Graecis oratoribus, quos citauerit, Hieronimum uideri non multo plus quam nomina et alia pauca nosse, sed opera ipsa ignorasse. Ne id autem simus oblitus, quod Rufinus, uetus Hieronimi condiscipulus in Aeli Donati ludo Romano, in Hieronimum cum inueheretur (*Apol. adu. Hier.* 2,7), memorauit, nempe ea Graecorum opera a Hieronimo esse laudata, quae ille numquam aut partim tantum legisset.

Quamquam Rufinus consentaneum est ut de Hieronimo male sentiret et male loqueretur, difficile est ea uitia ab eo esse Hieronimo tributa, quae prorsus nulla essent, quae si tantillum uera sint, uerisimilius uidetur a Hieronimo *Rhetoricam ad C. Herennium* fundamento nimis quam incerto Ciceroni esse illam quidem adscriptam. Graecos autem auctores, qui supra laudato in loco memorati sunt, nulla aut perparua cura a Hieronimo tractatos esse uidemus, qui quae fulmina a Marco Tullio in Demosthenis orationibus agnita sint (*Cic. Att.* 15,1a,2), ea Aeschini quoque tribuerit,

108 Apparet igitur ne in suspicionem quidem Hieronimum uenisse per *Rhetoricam ad C. Herennium* Marci Tullii libros rhetoricos, qui sunt de inuentione, ita correctos esse, ut *Rhetorica ad Herennium* *Rhetorica* Tullii noua iudicaretur, Ciceronis *Rhetorici Libri* qui sunt *De inuentione*, Ciceronis *Rhetorica* Vetus esse crederentur. Tantum igitur a fuit, ut Hieronimus, Ciceronis loco, qui est *de orat.* 1,5 considerato, in hanc opinionem ueniret, ut uix credatur hoc tamquam per nebulam Cassiodoro innotuisse, qui scripserit, *inst.* 2.2.4 *sed, quemadmodum ipse se Cicero emendans in libris de Oratore dicit, translatio inter legales accipi debet status.* Quae enim *translatio* a Cicerone *constitutio* per se esse creditur, ea ab Auctore *ad C. Herennium constitutionis legitimae* pars esse putatur (cf. quae supra ad §7 exposita sunt, et G. Calboli, “The Knowledge of the *Rhetorica ad Herennium* in Northern Italy”, pp. 41sq. adn. 7).

109 Cf. F. Marx (*Prolegomena* 77), qui annum nonagesimum primum a. Chr. n. elegerat, et G. Kennedy (*The Art of Rhetoric* 107), cui erat tempus inter nonagesimum primum et duodenonagesimum annum probabilius uisum, et C. Lévy (“Le myte de la naissance de la civilisation” 155–158), quem supra uidimus ad annos duodenonagesimum uel octuagesimum septimum descendisse, dum Ciceronis *Libri Rhetorici* ante *Rhetoricam ad Herennium*, quod ad tempus pertinet, quo conscripti sint, ponerentur.

spinas autem, quae in Zenone Stoico eminerint, Chrysippo quoque et Antipatro. Quorum quid de Antipatro antiqui iudicarint, non patet, Chrysippum autem Fronto (p. 140 van den Hout) nullis oratorum armis et ornamentis caruisse scripsit, id est et augere et distinguere et omnibus figuris ornare orationes consuesse (*Videsne ab eo paene omnia oratorum arma tractari*), cf. F. Striller (*De Stoicorum Studiis Rhetoricis* 12) et G. Moretti, *Acutum dicendi genus* 151sq., quae sunt omnia *acumini* et *subtilitati* contraria:

Fronto, p. 140, 10–16 van den Hout *Vbi illud acumen tuum? Vbi suptilitas? Euigila et adtende, quid cupiat ipse Chrysippus. Num contentus est docere, rem ostendere, definire, explanare? Non est contentus: uerum auget in quantum potest, exaggerat, praemunit, iterat, differt, recurrit, interrogat, describit, diuidit, personas fingit, orationem suam alii accommodat: τὰυτὰ δ' ἔστιν αὐξείν, διασκευάζειν, ἐξεργάζεσθαι, πάλιν λέγειν, ἐπαναφέρειν, πράττειν, προσω(πο)ποιεῖν.*

Non ignoro equidem a G. Moretti (p. 152) confirmatum esse iudicium, quo Chrysippus Stoicorum subtilitate usus esse uideatur, scilicet ei non defuisse “un discorso stoico organizzato per frasi brevi, mutevoli, sfaccettate nelle loro tattiche logico-retoriche, e lo stile che a Cicerone sembrava *ieiunus* in modo definitivo e irrimediabile [at ignoramus, inquam, quid Cicero de Chrysippi dicendi ratione senserit], può ben venire rivalutato dall’evolversi della prosa latina più tarda verso una sorta di manierismo arcaizzante”. Quod partim accipi potest, dum ne ignoretur, non omnibus Stoicis eandem fuisse dicendi rationem, et praecipue dum ne id silentio praetereatur, Frontonis, uiri doctissimi, qui rhetoricam artem bene nosset, iudicium omnino neglegi non posse. Chrysippum autem cum Antipatro a Varrone coniunctum iam esse et fieri potuisse, ut ambo Hieronimus et Rufinus Varronem Aeli Donati in ludo legere soliti essent:

Varro, *ling.* 6,1 *In hoc libro dicam de uocabulis temporum et earum rerum quae in agendo fiunt aut dicuntur cum tempore aliquo ut Sedetur, Ambulatur [...]. Huius rei auctor satis mihi Chrysippus et Antipater et illi in quibus, si non tantum acuminis, at plus litterarum, in quo est Aristophanes et Apollodorus.*

Hic de mentis quidem agitur acumine, sed etiam in *Th.L.L.* I 459,84–460,1 (Dittmann conscripsit) de dialecticorum et philosophorum agitur mentium acuminibus. Breuem autem et acutam dicendi rationem a Stoicis adamatam esse docuerunt nonnulli scriptores ut Marcus Tullius, cf. enim Cic. *fin.* 4,24 *consectaria me* (M. Cato Uticensis de se loquitur) *Stoicorum breuia et acuta delectant*, quod ipse Cicero iterum memorauit, *fin.* 4,52 *Quis enim potest istis, quae te, ut ais, delectant, breuibus et acutis auditis de sententia decedere?*¹¹⁰

Apparet igitur neque materiam neque consuetudinem Hieronimo defuisse, qua iudicia sua emitteret, quae ex exteriori quodam usu, potius quam ex diligenti et attenta cognitione Graecorum auctorum, quos quidem laudaret, ut Lardet notauit, ducta esse uidentur. Parumque curae impertitum esse a Hieronimo, ut Rufinus con-

110 Cf. G. Moretti, *Acutum dicendi genus* 112–116.

tenderit, probatur. Nec satis est: primo enim libro *Rhetoricae ad C. Herennium* multos locos et definitiones isdem prope uerbis quibus a Marco Tullio in *Rhetoricis* libris expositas esse uidemus¹¹¹:

Rhet. Her. I 2,2 Tria genera sunt causarum, quae recipere debet orator: demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale. Demonstratiuum est, quod tribuitur in alicuius certae personae laudem uel uituperationem. Deliberatiuum est in consultatione, quod habet in se suasionem et dissuasionem. Iudiciale est, quod positum est in controuersia et quod habet accusationem aut petitionem cum defensione.

Cic. inu. 1,7 Aristoteles [...] tribus in generibus rerum uersari rhetoris officium putauit, demonstratiuo, deliberatiuo, iudicali. Demonstratiuum est, quod tribuitur in alicuius certae personae laudem aut uituperationem; deliberatiuum, quod positum in disceptatione ciuili habet in se sententiae dictionem; iudiciale, quod positum in iudicio habet in se accusationem et defensionem aut petitionem aut recusationem.

Rhet. Her. I 2,2 Oportet igitur esse in oratore inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem. Inuentio est excogitatio rerum uerarum aut ueri similitum, quae causam probabilem reddant. Dispositio est ordo et distributio rerum, quae demonstrat, quid quibus locis sit collocandum. Elocutio est idoneorum uerborum et sententiarum ad inuentionem adcommodatio. Memoria est firma animi rerum et uerborum et dispositionis perceptio. Pronuntiatio est uocis, uultus, gestus moderatio cum uenustate.

Cic. inu. 1,9 partes autem eae, quas plerique dixerunt, inuentio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Inuentio est excogitatio rerum uerarum aut ueri similitum, quae causam probabilem reddant; dispositio est rerum inuentarum in ordinem distributio; elocutio est idoneorum uerborum et sententiarum ad inuentionem adcommodatio; memoria est firma animi rerum ac uerborum ad inuentionem perceptio; pronuntiatio est ex rerum et uerborum dignitate uocis et corporis moderatio⁽¹¹²⁾.

Id accidisse igitur uidetur, ut Hieronimus, cum neglegenter legisset, in eam opinionem ueniret, ambo opera, id est *Rhetoricam ad C. Herennium* et Ciceronis *Rhetoricos libros*, qui sunt *De Inuentione*, ab uno eodemque auctore conscripta esse, atque eius auctoritate effectum esse, ut haec falsa opinio tamquam probata confirmataque haberetur¹¹³. Constat enim ex christianorum auctorum operibus Hieronimi scripta, quam quae maxime esse diffusa, ut ex Bibliothecarum catalogis apparet, quae de Mo-

111 Cf. G. Calboli 2009b: 121–123. Crassioribus litteris iisdem uocabulis utrumque auctorem usum esse significauit.

112 Haec et alia contulit Joachim Adamietz, *Cicero de inuentione und die Rhetorik ad Herennium*, Inauguraldissertation der Philipps-Universität zu Marburg, E. Mauersberger, Marburg 1960, 16 sq.

113 Etiam H. Hagendahl (1958: 309–328) confirmauit Rufini accusam contra Hieronimum uerisimilem esse et esse ei tribuendam consuetudini, qua Christianam doctrinam cum paganorum scriptis quodammodo conciliare Hieronimus ita conatus sit, ut nonnumquam ille ipse secum quaereret, utrum Christianus an Ciceronianus esset. “Now, what we must infer from our analysis of Jerome’s writings, is in perfect harmony with facts of which Rufinus gives us a glimpse (*Apol. adv. Hier. 2,8*)”. Cf. etiam G. Calboli, 2008.

nasteriis ad nos peruenerunt (cf. G. Becker, *Catalogi*, p. 313; M. Ferrari, “Le scoperte a Bobbio nel 1493”, pp. 140sq.). Ex quo efficitur, ut consentaneum sit, a Hieronimo *Rhetoricam ad C. Herennium* Ciceroni adscriptam esse, tametsi nihil magis quam probabilis – quod ne te fugiat – haec opinio est. At omnium primus Hieronimus *Rhetoricam ad Herennium* ut Ciceronis opus laudauit. Quando autem Hieronimus et ubi *Rhetoricam ad Herennium* cognouerit, incertum est. Duo conicere possumus, nempe aut Romae antequam commentarium *in Abdiam* conscripserit (395), aut postea Cesareae *Rhetoricam ad Herennium* ab eo in bibliotheca quadam inuentam esse. Quo eorum quodammodo opinio probatur, qui terra in Africa hoc opus seruatum esse contenderint. Quodsi ad priorem accesseris opinionem, ut equidem non inuitus accesserim, id denuo fieri potuisse apparet, scilicet ut Hieronimus *Rhetoricam ad Herennium* Roma profectus Aquileiam secum ferret, quo anno 374 p.Chr.n. illum deprehendimus se contulisse, id est nonnullos annos antequam Augustinus ex Africa *Rhetoricam ad Herennium* ferre potuisset. Quod aliud esset uestigium, quoddam *Rhetoricae ad Herennium* exemplar Cisalpina in Gallia exstare potuisse, quoniam libros suos Hieronimus tamquam sui ipsius comites habere consuevit.

At equidem potius contenderim non ante *Rhetoricam ad Herennium* a Hieronimo cognitam et consideratam esse, quam Augustinus eam Romam ex Africa adduxerit (383). Quam cum sine certo auctore et nouam inuenisset, Hieronimus, qui Ciceronis *Libros Rhetoricos* Aeli Donati in ludo nouisset, Marco Tullio uidetur ea ipsa, quam supra memorauimus causa, adscribere non dubitasse. Illis autem temporibus Romae rhetoricam non modo uiguisse accepimus, sed factitatam etiam summo cum plauso declamatoriam praecipue per artem atque in Traiani et in Augusti foro celebratam esse. Si quidem demonstratum est undeuginti *Declamationes maiores Quintiliano falso ascriptas* ad extremam scripturam et formam a Dracontio et Hierio, paganis rhetoribus, perlatas esse, quae postea Media Aetate seruata sit, atque Christianos et Paganos scriptores per declamationes inter se concertasse¹¹⁴, neglegendum profecto non erit rhetoricam iis ipsis in concertationibus adhibitam esse, quibus per declamationes interesse se Hieronimus somniare non intermitteret. Nam Hieronimus, quamquam Bethlehem, parua in urbe, uitam suam degebat, Romae oblitus non erat, et nimirum, ut ipse scripsit (*adu. Rufin.* 1.30), *controuersiolam ante rhetorem* Romae habentem in somnio sese uiderat. Neque Christiani illi quidem in Hierium¹¹⁵ per *carmen aduersus Paganos* uehementer inuehi obliti erant.

Tardiores rhetoras etiam a D.E. Grosser, *Studies* 50–60, collectos esse uidemus, nonnulla autem *Rhetoricae ad C. Herennium* uestigia, praeter ea quae memorauimus, apud Martianum Capellam, 193,3–8 Willis tantum, cum de exordio ageret, inuenias. Quamquam apud Martianum nihil aliud quam errores legimus, qui sint in exordio

114 De his quaestionibus diu multumque a doctis uiris et mulieribus disputatum esse uidemus, quorum opiniones sententiasque collegi et memorauim (G. Calboli 2009b: 185–196).

115 Quem Augustinus, nondum christianus admodum factus, laudibus extulisse uideatur, quippe ad quem libros *De pulchro et apto* miserit (cf. Aug. *conf.* 4,13,20–14,21; C. Schneider 2000: 628sq.).

uitandi atque eadem adhibita uerba deprehendimus, Rhetoricae nomine uitato, quae in *Rhetorica* occurrunt ad *Herennium* I,7,11. Alterum textum ad uerbum cum altero congruere animaduertit iam Ioannes (Hans) Wernerius Fischer, *Untersuchungen* 18–20, quod Grosser non effugit.

Dein *Rhetoricae ad Herennium* notitiam habuit Seruatus Lupus Ferrariensis, qui hoc opus in epistula laudat, quam ad Einhardum anno 829–830 p.Ch.n. misit (1,7)¹¹⁶. Qua uia longius Antonius Hafner (*Untersuchungen* 46sq.) processit, qui librum manu scriptum Bernensem 433 ad Lupi scriptorium reuenire demonstrauit, seu directe, qui eo ipso in scriptorio exaratus esset, seu per eiusdem exemplar libri, ex quo Bernensis 433 descriptus esset.

Ante Lupum Alcuinus ex Eburaco Ciceronis Rhetoricos libros, qui sunt *De inuentione*, nouisse, sed *Rhetoricam ad C. Herennium* ignorasse uidetur (cf. Calboli Montefusco, “Un catechismo retorico” 136 nota 33, et auctores, quos memorauit). Hoc opus tamen Britannia in insula illis ipsis temporibus cognitum fuisse, ex eo uiri docti coniecerunt, quod scripturae insularis uestigia nonnullis in libris *Integrorum* familiae manu scriptis, Hafner et Taylor inuenerunt (nam non alia patet uia haec opera tradita esse, quam qua posteri scriptores et uiri docti eis uti consueuerint). Quod autem P. Ruth Taylor (“Pre-History” 230sq.), contendit, nempe libros *ad C. Herennium* rhetoricos in Caroli Magni Bibliotheca non exstitisse, cum Alcuinus de his paginas de memoria non sumpserit, id facile Lucia Calboli Montefusco (“Un catechismo retorico” 136, adn. 33) reiecit, quae Alcuinum memorauerit ea in parte, quae ad memoriam pertineret, Iulio Victore usum esse et Memoriae artificium a Iulio Victore in arte rhetorica prorsus inutile esse iudicatum (*rhet.* 95,18sq. Giomini-Celentano)¹¹⁷, Alcuino autem Iulium Victorem ubiuis seu unicum seu potissimum fontem fuisse. Nihil igitur mirum esse, si Alcuinus eam rhetoricae partem neglexerit, quam auctor eius summus, Iulius Victor, nihili fecisset. Argumento uero, quod Alcuini tantum reticentia nititur et e silentio iure appellatur, probari nullo pacto potest, *Rhetoricam ad C. Herennium* Caroli in Bibliotheca non fuisse. Ita semper argumenta pereant e silentio! Vt autem a uiris doctis *Rhetorica ad Herennium* adhibita est, ita apparet hoc opus per exemplaria traditum esse, nam cum hoc uiri docti sint usi, tum id esse a librariis adtentius descriptum. Quod ita accidisse, tametsi non eodem semper modo et ratione, ut per exempla ostendam, nunc tempus est locum quandam ex disputatione mea me sumere, quae inscribitur “The Knowledge of the *Rhetorica ad Herennium* as

116 Quo loco Lupus sic scripsit: “postulo, ut quosdam librorum uestrorum mihi hic posito commo-
detis... sunt autem hi: Tullii... de rhetorica tres libri in disputatione ac dialogo ‘de oratore’ (quos
uos habere arbitror, propterea quod in breui uoluminum uestrorum post commemorationem libri
ad Herennium, interpositis quibusdam aliis, scriptum reperit: ‘Ciceronis de rhetorica’)”.

117 Iul. Vict. p. 95,18sq Giomini-Celentano ad hanc [sc. memoriam] obtinendam tradunt plerique
locorum et simulacrorum quasdam obseruationes, quae mihi non uidentur habere effectum. Con-
tendit autem auctor ad Herennium III 16,29, in hac re multum ualere artem et praeceptionem,
quam diligenter docet, ab eo profectus loco, qui sic sonat: *Constat igitur artificiosa memoria ex
locis et imaginibus*, eqs., ex iisdem, igitur, quae Iulius reicit, artificiiis.

«prerequisite for training in dictamen»”, pp. 52sq.; qua Media Aetate monstraui *Rhetoricam ad C. Herennium* a dictatoribus, dictamine in litteris imperante, cultam quam maxime esse atque a librariis saepius et diligenter esse descriptam. Nam id curamus, ut *Rhetorica ad Herennium*, quibus itineribus ad nos peruenerit attentius inquiramus. Nec quicquam de Anglica quoque lingua, qua tunc sum usus, immutauero:

“At this point I would like to consider the function fulfilled by the *Rhetorica ad Herennium* in conveying classical rhetoric from the Late Roman Empire to the early Middle Ages and further. From Anton Hafner’s book and the articles by Ruth Taylor we can see, I think, that this work came to France and thence to Germany and thence to Italy by two routes, one characterised by a Visigothic script as it is evident from mistakes in the transcription. Elias Avery Lowe (“Paleographical Papers II”, p. 377) and later Anton Hafner (*Untersuchungen*, pp. 177–180) have suggested that the Mutili-hyparchetype was in Visigothic script and therefore supposed that it was brought to Lyon by Spanish emigrants who fled their country after the Arab invasion. This branch of the *Rhetorica ad Herennium*’s tradition could firstly have travelled from Africa to Spain in the same way as other books did¹¹⁸. In this way the African hypothesis substantiated by the ‘explicit’ of the first book of *Ad Herennium* in the Herbipolitanus manuscript (**H**), *Romaniane uiuat Romaniane uiuat* [cf. Tabula 1], is admitted again, although I am reluctant to take things as far as Ruth Taylor who thinks that this branch of the tradition started with Saint Augustine, the friend and alumnus of Romanianus (see R. Taylor, “Pre-History in the Ninth-Century Manuscripts of the *ad Herennium*”, pp. 240–245), or, using her own words (p. 249), Saint Augustin “was personally involved in the M(utuli)-tradition of the *Ad Herennium*”. As for the Herbipolitanus, she believes that this manuscript originated from an exemplar written in insular minuscule. I was not persuaded by this argument and still prefer the idea of a Visigothic origin defended by Hafner and myself (Calboli, “Further Comments”, p. 128)¹¹⁹. This means that also from the point of view of the script, the Visigothic and therefore the Spanish origin is confirmed. I drew further support of an African-Spanish origin from the use of the expression *domuitionem parant* by Apuleius, *met.* 4. 35 which occurs in *Rhet. Her.* III 21,34¹²⁰ substantiated by the fact

118 See M. Spallone, “La trasmissione della *Rhetorica ad Herennium*”, p. 160 note 40.

119 As a matter of fact Taylor finds confusions of letters in the **H**(erbipolitanus) to be produced from ambiguities arising in the insular script: »r«/»s«, »n«/»r«, »n«/»s«. But the first confusion is not specific to insular script and, of the second, Taylor (“«Pre-History»”, p. 240) gives only one sure example (*Rhet. Her.* IV 14,20 *concinnionem H concinnioem rell.*), and a less sure one (*Rhet. Her.* IV 27,38 *gere H genere rell.*) that could depend upon an abbreviation either deleted or not considered. Of the third confusion (»n«/»s«) Taylor gives only one example: *Rhet. Her.* IV 32,43 *diuino H diuisio rell.* This is not enough, in my opinion, to demonstrate an insular origin of the tradition of **H**, i.e. of the Mutili to which **H** belongs.

120 Another element which is not a necessary for a proof (in the sense of Aristotle, *rhet.* I 1357b 12ff.) but nevertheless supports the hypothesis that the *Rhetorica ad Herennium* was known in Africa is that Apuleius, *met.* 4. 32, quotes one of Ennius’ lines from the *Medea*: *Psyche uirgo uidua domi residens deflet desertam suam solitudinem aegra corporis, animi saucia* (u. 216, cf.

that the tradition of Apuleius' *Peri Hermeneias* and Augustin's *Dialectica* also seems to have travelled by the same route: Spain and thence Lyon (at the time that Leidrad was bishop at the end of Eighth Century) or Orléans, Autun, Fleury, Corbie¹²¹.

The Mutili-Family of the manuscripts of the *Rhetorica ad Herennium* seems, therefore, to have come from Spain, while the other, the Integri-Family came from England through one or more exemplars in insular script. Perhaps in both cases, out of Spain and out of England, this rhetorical work came to France and Germany together with various grammatical and dialectical books. These are, however, all hypotheses based on the mistakes discussed in Hafner's and Taylor's works. By contrast it is fairly certain that the *Rhetorica ad Herennium* was greatly copied and entered into the monastic schools of France abbeys (Ferrières, Corbie and perhaps Fleury) and the cathedral schools of Germany such as the Dom-school of Würzburg and St. Gallen. Some manuscripts were produced in these schools and these are almost all the Mutili. The Herbipolitanus (**H**) was written in the Dom-school of Würzburg as demonstrated by Bernhard Bischoff (in Bischoff-Hofmann, *Liber Sancti Kyliani*, p. 43) and more recently confirmed by Anton Hafner (*Untersuchungen*, p. 44) who writes: "der Würzburger Codex ist nicht in der Lombardei geschrieben worden, sondern ist eine Produktion des karolingischen Skriptorium an der Würzburger Domschule und wurde um 850 geschrieben" [quod ad tempus, idem sentit R. Taylor, "Pre-History" 217]. This manuscript is important not only because it is a very good exemplar of the Mutili-Family, but also because the 'explicit' of the first book *Romaniane uiuat Romaniane uiuat* occurs there and only there. The Bernensis (**B**) came from an exemplar used and corrected by Lupus of Ferrières and was written in one of the Loire convents, Fleury, Ferrières or Auxerre in the second half of Ninth Century (Hafner, *Untersuchungen*, p. 46)[post annum 825 R. Taylor, "Pre-History" 217, exaratum putat]. Two manuscripts came from Corbie, the Parisinus Latinus 7714 (**P**), of the third quarter of Ninth Century [item Taylor, "Pre-History" 217] and the Corbeiensis, now Petropolitanus, Lat. Class. 8 (**C**) at (perhaps) the same time (Hafner, *Untersuchungen*, pp. 44 and 51)[item Taylor, "Pre-History" 217; this manuscript has been studied thoroughly by B. Huelsenbeck, "A Nexus of manuscripts copied at Corbie" 2013]. These dates and locations were all proposed by Bischoff and accepted by Prof. Tränkle or Anton Hafner. All mentioned manuscripts belong to the Mutili-Family".

Ex altera librorum manu scriptorum familia, qui plurimi sunt et recte Integri

H.D. Jocelyn, *The Tragedies of Ennius*, p. 113). Ennius' line *Medea animo aegro amore saeuo saucia* occurs in *Rhet. Her.* II 22,34 and it is possible that Apuleius quoted from this work. Of course Apuleius could also have read this line directly in Ennius or even in Cic. *Cael.* 18 and *fat.* 35, where the same line occurs, so it is only a possibility, but one not to be left out, that Apuleius (who lived in Africa) knew the *Rhetorica ad Herennium* and quoted from this work (see G. Calboli, "Un Ennianismo di Apuleio", pp. 72–79).

121 See Hafner, *Untersuchungen*, p. 180, Taylor, "«Pre-History»", p. 239, Calboli, "Further Comments", pp. 124–128; as for Apuleius' tradition see Klibansky-Regen, *Die Handschriften der philosophischen Werke des Apuleius*, p. 44–46.

uocantur, cum initium *Rhetoricae* seruauerint, **Mediceum Laurentianum** 51. 10 (L) adhibui. Hic liber scriptura Beneuentana exaratus est, *Rhetoricam ad C. Herennium*, Ciceronis orationem *Pro Cluentio*, Varronis *De lingua Latina* libros continet, qui ex 25 supersunt (v. vi. vii. viii. ix. x). Cum de Varronis *ling.* 8,16, agerem, totum librum consideravi, quamquam non eadem est trium operum condicio (ex disputationibus ad hoc opus pertinentibus, quas plures collegi, duae praecipue dignae sunt, quae laudentur, Guglielmo Cavallo, “La trasmissione dei testi nell’area beneventano-cassinese” 1975. et Silvia Rizzo, *La tradizione manoscritta della ‘Pro Cluentio’ di Cicerone* 1979). Hic liber in Monasterio Casinensis Montis seruatus est et partim (id est, Varronis pars, quae est *De lingua Latina*) eodem in coenobio exaratus esse uidetur. Dein **Vadiano** 313 (V), legendo comparando operam dedi, qui Sancti Galli in coenobio-schola litteris Carolinis descriptus est. Nec **Frisingensem**, Clm 6403 (F), neglexi, qui in Galliae nostrum ad mare uergentis ignoto in loco medio undecimo saeculo (XI) descriptus est, ut in Bibliothecam Frisingensis Ecclesiae Metropolitanae introduceretur. Integrorum autem familiae adscribendi sunt codices, quos quidem adhibuerimus, **Bambergensis** Cl. 29 (A), Vaticanus **Chigianus** H. VI. 179 (c), **Mediceus Laurentianus** 50. 10 (f), scriptura Beneuentana confectus, **Londinensis** BL Add. MS. 11916 (Z), et fortasse ex Bibliotheca Apostolica Vaticana, tres codices, qui tamen etiam familiae E adscribi posse uidentur: **Palatinus** Latinus 1522 (π), **Ottobonianus** Latinus 1190 (O) et **Ottobonianus** Latinus 1864 (o).

Apparet igitur dimidio saeculo undecimo *Rhetoricam ad C. Herennium* plurimis in Bibliothecis Gallicorum coenobiorum et Ecclesiarum, praecipue ubi scriptoria exstarent, in Septentrionali et Meridionali Gallia, inueniri potuisse. Quod, multis huius operis libris manu scriptis ex omni Galliae regione in Bibliothecam Totius Gallicae Nationis Lutetiam Parisiorum collatis, certissime probatur. Probatur autem hanc artem rhetoricam in multis eiusdem regionis Monasteriis et Ecclesiis Metropolitanis in usu fuisse. Quem tamquam primum gradum ad hoc opus legendum describendum factum esse considerare possumus. Duodecimo autem saeculo exeunte *Rhetorica ad C. Herennium* tam longe lateque in Europae regionibus ad septemtrionem uergentibus diffusa esse uidetur, ut J. Ward (2019: 362) scribere non dubitauerit: “By the last quarter of twelfth century in northern Europe, and somewhat earlier in Italy, the *De inventione* seems to have been supplanted by the *Ad Herennium* as the principal rhetorical text. Manuscript copies of the *Ad Herennium* are numerous from this time on”.

Aliam uiam secuti esse uidentur Expleti codices, qui, Fridericum Marx (*Prolegomena*, p. 33) si audimus, ita nati sunt, ut Mutilus “H codicis simillimus, ex alio illo cod. integro passim correctus et suppletus” esset. Hanc Expletorum familiam, attentius considerauit Ruth Taylor (1995). Illi quidem recentiores sunt, quibus codicibus necesse est meminerimus nomen semper, ut Georgius Pasquali recte monuit, imponendum esse, *recentiores non deteriores*, sed non possunt cum antiquioribus Integris confundi, nisi omnem distinguendi rationem deletam uelis. Nimis facile dixerim esse, si omnes Integros esse consideremus, ut Klaus Zelzer (“Zur Überlieferung”, p.

209sq.) suasit. Sunt enim omnes integri. Vt mox uiderimus, aliae distinctiones, quas Ruth Taylor instituere conata est, certissime semper probari non posse uidentur. Restat igitur, ut tempus saltem consideremus, quo hi libri descripti sint seu ex scripturae forma descripti esse uideantur. Ne dicam exemplum non deesse codicis Mutili, qui expletus sit, nempe Bernensis 433 (**B**), cuius quattuor priora folia, scripturam si animaduuerteris, saec. X/XI exarata dixeris, dum reliqua a fol. 5u saec. IX confecta esse apparet, et liber hic Mutilorum familiae optimo iure adscribitur (cf. A. Hafner, *Untersuchungen*, p. 45). Hac de re postea uiderimus.

Ad alterum autem diffusionis gradum *Rhetoricam ad C. Herennium* peruenisse uidemus, cum ad *dictamen* adhiberi coepta est, quo uidelicet discipuli artem docerentur, qua epistulas ordine scriberent, atque orationes haberent.

At tertium maioris momenti gradum uiri docti Mediae Aetatis adtigisse uidentur, cum Commentaria huius operis componere coeperunt. Cuius generis scripturae auctores memorabo primo tres, Theodericum Bretonem (Thierry des Chartres), Alanum et Iacopum de Dinant, dein alios addam, ut Ioannem Bonandreae, qui de Ciceronis rhetoricis operibus disputauit et scholas habuit, et Bartolinum de Benincasa de Canulo, qui non modo artem rhetoricam, *Rhetorica ad C. Herennium* usus, docuit, sed eiusdem operis Commentarium conscripsit¹²². Latine uero scholae habebantur neque Latina lingua in habendis scholis Bononiae adhiberi unquam desiit, cum in praeclara illa Florentina schola Italica uulgaris ipsa et uernacula lingua, Brunetto docente, adhiberi coepta est. Vt diligentissime et attentissime Ioannes Ward exposuit, classica Romanorum rhetorica magis magisque, a *dictamine* profecta, sed etiam ultra epistolarum scribendarum artem per Galliam et Germaniam et Italiam ex Britannia et Hispania, ut uidetur, diffusa est¹²³. (G. Calboli, “The Knowledge of the *Rhetorica ad Herennium*” 52–55 et praecipue J. Ward 2019: 149–185; 347–360). Haud pauca

122 Cf. J.R. Banker, “Giovanni di Bonandrea”, pp. 3–20; Eund., “The *Ars Dictaminis* and Rhetorical Textbooks at the Bolognese University, 153–168; K. Wertis, “The Commentary of Bartolinus de Benincasa da Canulo”, pp. 283–310; V. Cox, “Ciceronian Rhetoric in Italy”, pp. 264–269; J. Ward, “Rhetorical Theory”, pp. 202–213; Eund., *Ciceronian Rhetoric*, pp. 69–70.

123 Nullam autem huius operis copiam in Italia, Gallia, Germania iam exstitisse, uix credibile apparet, sed, prudentiores si esse uolumus, ex Africa, Hispania, Britannia, et Costantinopoli in Inferiorem Italiam, *Rhetoricam ad C. Herennium* uenisse putamus. Cf. K. Burdach, *Vom Mittelalter* V, 59–74; D.E. Grosser, *Studies*, pp. 66sq., R.R. Bolgar, *Heritage*, pp. 37 and 396, J.J. Murphy, *Rhetoric in the Middle Ages*, pp. 106–123, et praecipue J. Ward, *Ciceronian Rhetoric*, pp. 76–104. Cum Marcus Tullius princeps rhetoricorum studiorum semper fuerit, *Rhetoricae ad C. Herennium* et Rhetoricorum Ciceronis librorum, qui sunt *De Inuentione*, usus et frequentatio non eadem semper et omnibus in Imperii regionibus fuit. Ne simus autem obliiti *Rhetoricam ad C. Herennium* Ciceroni adscriptam usque ad Angiolium Decembrium fuisse (*De politia litteraria*, quae anno 1460 edita est, cf. J. Monfasani, “Three Notes”, p. 114). Litteras enim latitasse Merouingiorum aetate non ignoramus, quarum obliuionem usque ad octauum nonum saeculum mansisse uidemus (cf. P. Riché, *Éducation*, pp. 69–75; 220–291; G. Calboli, “Aspects du latin mérouingien”, p. 20sq.). Quod libri (manu scripti) *Rhetoricae ad Herennium* in Galliam ex Britannia et Hispania allati sunt, id ostenditur in hac Imperii regione rhetoricam, nempe quae per ‘artes’ doceretur, iam coli desitam esse. Neue credideris alibi rhetoricam perbene cultam esse. Nam, quae praeclara doctrina et rhetorum cognitio Alcuino ex Eboraco

praeterea ex *Rhetorica ad C. Herennium* Anselmum de Besate, Langobardorum in regione, sumpsisse iam uidimus (cf. G. Calboli, “The Knowledge of the *Rhetorica ad Herennium*” 44–47).

Alia autem in litterarum regione *Rhetorica ad C. Herennium* lecta et adhibita est, ea scilicet in regione, in qua commentaria antiquorum librorum undecimo iam saeculo (XI) confici coepta sunt. Notissimae sunt Glossae librorum de iure ciuili, quas iurisperiti confecerunt et collegerunt, sed etiam rhetorici libri similibus uerborum explicationibus tractati sunt, dum uiri docti antiquos libros non describunt modo, sed explicare quoque conantur. Docendis enim pueris et adulescentibus adhibiti sunt. Quod in Monasteriis et Ecclesiarum scholis factitatum esse constat. Dein aliae secutae sunt scholae, quas Lothari in Capitulari (anno 825) memoratas inuenias, dein saeculo XII ineunte secutae sunt Vniuersitates Studiorum, ut Bononiensis, ubi uiri docti Iustiniani Corpus totum Iuris tractare et explicare per Glossas coeperunt. Vt Carolus Radding¹²⁴ nos docuit, totam Italiam, sed praecipue septentrionalem percurrerunt iudices et iurisperiti Ticino (dein Papia appellata) profecti. Aliquot annis interpositis Irnerius Theoticus Monachus (nomine Werner, quod in Latinum Wernerius seu Ernerius/Irnerius perperam conuersus est) Digesto quoque Iustiniani per glossas explicando operam dedit. Quem multi iuris cultores Bononiae exceperunt. Ita nata est Vniuersitas Studiorum, quam appellant, Bononiae, ubi *Rhetorica ad C. Herennium* post Iustiniani Corpus Iuris secundum locum insequenti saeculo tenuit. Quae omnia summa doctrina summaque diligentia explicauit Ioannes O. Ward, *Ciceronian Rhetoric* 74–210, qui ad p. 86 memorat *Rhetorica ad C. Herennium* usum esse Gunzum Nouariensem, ad p. 91 Augustinum usum in Ciuitate Dei conscribenda, dein Anselmum ex Besate totum hoc opus praesto, integro codice quodam descripto, habuisse (pp. 97–104); Corbeiensi autem codice (C), nunc Sancti Petri in Vrbe, Russa Bibliotheca seruato, plus centum adnotationes contineri ita, ut Commentarium Rhetoricae aestimari possit, etsi haec Scholia Carolingia aetate composita esse uidentur. Haud parum autem materiae *Rhetorica ad C. Herennium* Mediae Aetatis poetis supeditauit; nam exornationes uerborum et sententiarum, quae σχήματα appellantur, saepius in poetarum uersibus occurrunt, neque plures meliusque per definitiones et exempla explicatae, tropis quoque decem collectis, ulla in alia rhetorica arte Ciceroni adscripta inueniuntur. Diu multumque contra Cornificius libro quarto et, ut sunt multi codices, quinto et sexto¹²⁵ omnibus in his figuris exponendis et exemplis

attributa est, eam Lucia Calboli Montefusco, “Un catechismo retorico dell’Alto Medioevo”, probauit minorem fuisse quam adhuc creditum est.

124 Charles M. Radding, *The Origins of Medieval Jurisprudence, Pavia and Bologna 850–1150*, Yale University Press, New Haven and London 1988; Ch. M. Radding, & Antonio Ciaralli, *The Corpus Iuris Civilis in the Middle Ages, Manuscripts and Transmission from the Sixth Century to the Juristic Revival*, Brill, Leiden-Boston 2007.

125 Quamquam Auctor scripsit (IV 1,1 et IV 56,69) elocutionem se uno libro tractaturum (IV 1,1) et tractasse (IV 56,69) et quamquam elocutio tota libro quarto continetur, in libris manu scriptis hic liber in tres libros diuisus est, ut librum quartum quintus (V) et quintum sextus (VI) excipiat, cf. J. O. Ward, *Ciceronian Rhetoric* 91 et F. L. Müller, p. 134 Apparatu.

instruendis moratus est. Multa sunt autem figurarum exempla ex declamationibus ducta, ita ut Romanorum res gestae et ciuiles concertationes tamquam sub oculis positae esse uideantur. Desunt autem figurae in Marci Tulli Libris Rhetoricis neque in reliquis, quos arti dicendi dedicauit, usquam tali copia et ordine figurae expositae sunt, quales in *Rhetorica ad C. Herennium* occurrunt. Quodsi alium rhetoricorum auctorem quaesieris, ubi similis labor doctrina simili instructus adulescentulis docendis impertitus sit, praesto sunt Marci Fabii, libri octauus (tropis dedicatus) et nonus (dedicatus figuris) sed M. Fabius Quintilianus, magister ipse in arte rhetorica princeps, Ciceronis se semper discipulum considerauit. Ante dimidium saeculum undecimum (XI), Onulfus, Latini sermonis et artis poeticae Nouiomagi in Ecclesia Metropolitana doctor, nonnulla *Rhetoricae ad Herennium* capita (IV 12,17–30,41) commentario instruxit (cf. J. Ward, *Ciceronian Rhetoric* 113–116), dein *Rhetorica ad Herennium* usus est Anselmus ex Besate, in Mediolanensi ecclesia presbiter, ut ex eius *Rhetorimachia* satis apparet (J. O. Ward 1995: 120sq.). Anselmum autem ex Besate usum esse et Ciceronis libris rhetoricis et *Rhetorica ad C. Herennium* in *Rhetorimachia* conscribenda iam monstrauerat Carolus Manitius (1956: 62–66; 1958: 79–81) et a uiris doctis omnibus, qui *Rhetorimachiae* operam dederunt, confirmatum est. Iam referam ea, quae Calboli, 2008: 44–47, Anglica lingua disputauit:

“*Rhetorimachia* means a conflict on the matter of Rhetoric, like Prudentius’ *Psychomachia*¹²⁶. More difficult is to distinguish the literary genre of the *Rhetorimachia*, though the author calls it a *controuersia* in the preface epistle *ad Drogonem philosophum* (p. 103,3–5 *inter me et consanguineum meum Rotilandum, uirum suae etatis satis optimum, quandam constitui controuersiam*). Before we dedicate some attention to this problem, I want to make a couple of observations: We showed that a way of diffusion of Cicero’s rhetorical works was through dialectic and logic. Is it possible to find such a knowledge or interest in Anselm’s *Rhetorimachia* too? Not considering the fact that Anselm called himself ‘Peripateticus’ and that in the second letter *ad Drogonem* he argued against the Mainz school by using logical argument, we read in the *Rhetorimachia* a passage where the syllogistic method is employed:

Anselm, *Rhetorim.* 1. 16 (pp. 131,12–132,6) *Caetera uero alia: ‘numquid gramatica, numquid dialectica, numquid rethorica, numquid et reliqua?’ Quæ tibi dicis non fuisse cognita, si te delectaret uagacio illa. Non autem sunt cognita, delectat igitur uagacio illa. Hanc enim consecucionem in proposicione ypothetica Aristotelica probat regula, ut: hæc non essent cognita, si delectaret uagacio illa. Vera autem illa, falsa non igitur ista.*

Karl Manitius (1958: 132) observes at the beginning of this passage: “Im folgenden zeigt Anselm seine Kenntnis der Syllogistik, sie entstammt den dialektischen Lehrbüchern des Boethius (vgl. auch Cic. de inv. 1 c. 34ff. und 242,44sgg. Halm; p. 125,30sgg. Riesenweber)”. Moreover the *Dialectica* herself, one of the three *uirgines formosissimae* who appear to Anselmus in Paradise, says to him:

126 It seems to me to be a little exaggerated but right what Mrs Bennett says (1987: 240): she accepts the meaning of ‘conflict’ but adds that we have to do with a kind of “«club of the rhetoricians» because throughout the work Rotiland suffers the brutal rhetorical clubbing of Anselm”.

Anselm, *Rhetorim*. 2.4 (p. 147. 10–148. 1) *Cui preter te forsitan erit posse categorias diuidere: ubi, quando, facere, pati, situs, habere? Cui tanta uis in syllogismis erit, cui tanta potestas probandi uel improbandi quiduis?*

It is therefore sure that Anselm considered himself a Logician. My second observation concerns Anselm's language. For it seems to me very strange that Anselm after reading a lot of rhetorical works written in a very good Latin like Cicero's *De inuentione* and *ad Herennium* uses the very bad Latin we find in the *Rhetorimachia*: sometimes it is not easy to understand what Anselm means, as e. g. 2.3 (p. 145,9–10 where he quotes a Rutilandus' speech):

Anselm, *Rhetorim*. 2. 3 (p. 145,9–10) *“Vadam, inquit, itaque cuius fuerint euocare, quorum si quis reditus per illum esse poterit, consulere.”*

We can understand this passage only by considering the following text where it is told what happened:

Anselm, *Rhetorim*. 2. 3 (p. 145,11–18) *Ad sanctum igitur Bartholomeum [...] noctu iuit ut solitus est. Quid? Sepultum desepeliuit, mortuum diabolica arte suscitauit, mortuum hominem quasi hominem reddidit. Surgit enim, spirat, loquitur et disceptat. Vas illud sacratum quasi simulacrum fecit demonum; plasma Christi, preclarum illud opus domini, fecit tabernaculum mamone sui*

Therefore the meaning of 2.3, (p. 145, 9–10) – I repeat a Rutilandus' speech – seems to be as follows: *“Vadam, inquit, itaque consulere [eum, sc. the devil] cuius fueri[n]t euocare [eos], quorum [si quis] [aliquis] reditus [in uitam] per illum [sc. the devil] esse poterit. “I will go to consult the devil who could perhaps call again to life, if it is possible, somebody who can come back to life”. What could be a correct Latin expression? “Vadam itaque eum consulere, cuius sit eos in uitam iterum uocare, qui poterint, si quis poterit, in uitam redire”.* A very difficult expression which Anselm or the fictitious Rutilandus could not master at all. However Anselm has a style and he uses this style, putting the most important word at the end and mixing prose and poetry and using a lot of figures, as Karl Manitius (1958: 85f.) showed, but this style is far from Cicero's rhetorical Latin: why? Anselm's medieval Latin was not an imitation of ancient Latin, because such an imitation was the fashion of posterior, humanistic time. We are not yet at the time of the *dictamen* which will be developed some years later: a long journey had to be done to arrive to the Latin of Laurentius Valla's *De linguae Latinae elegantia*.

However Anselm made a big step towards the use of classical rhetoric as a prerequisite in training not only in *dictamen* but in all medieval culture, taught in a school or University. As for the nature of the *Rhetorimachia* I would like to accept the point of view of Mrs Bennett, namely that this work is a complete medieval *controversia* where tradition and medieval view are combined together. The purpose is, as Anselm himself says (p. 102,15–19 and p. 105,12–18) in the introductory letter to Drogon, to produce new examples and a new rhetorical treatise, as a product of Drogon's school. In this sense I accept also the explanation by Michael Leff (1975). Therefore, on the one hand, I think we have to do with a declamation and I repeat the conclusion of Mrs Bennett (p. 250): *“The treatise is rooted in its classical past, it blossoms in the nature of its present, and it foreshadows the adaptation of rhetoric into its truly medieval art forms, ars dictaminis, ars grammatica, ars praedicandi, during the reign of logic”.* On the other hand I don't exclude

also the elements pointed out by Alexander Cizek (2000: 119f.), that the “literarisch-parodistische” vein, the “Polarisierung” of Rotiland as a devil in hell and of Anselm as a saint in paradise and that the magic sorcery of declamation are constituents of this work. I would like to add that the declamatorial tradition must be considered not only for the declamations of late Latin, like the 19 *declamationes maiores Quintiliano falso ascriptae*, but also for the Christian homiletic by Saint Ambrogius and Saint Augustine, and even more for the medieval *disputationes* which will be expanded in medieval University and flourished in German, French and English Renaissance. Can we say that Anselm was a kind of Erasmus’ father? I don’t go so far, but this is the way.

I think, therefore, that Cicero’s or Ps. Cicero’s rhetorical works were present in northern Italy through a link between Isidore’s Spain and France (Charlemagne’s library and Lyon), in particular for works of **dialectical subject** and more or less connected with a **dialectical interest**. The declamatorial activity was employed before the growth of the *dictamen* in works as the *Rhetorimachia* by Anselm of Besate to give a rhetorical training where Cicero’s rhetorical works, in particular both the *Rhetorica uetus (De inuentione)* and the *Rhetorica noua (ad Herennium)* were used in a strong way. As for declamations we must remember that Saint Jerome, the first ancient author who quotes Cicero’s *ad Herennium* (in *Abd.* PL 25, 1098, of A.D. 395 – but this is an elaboration of a previous version – and *adv. Rufin.* 1.16 Lardet), connects Cicero’s work *ad Herennium* with *De inuentione*”.

Sed ad alios ueniamus *Rhetoricae ad C. Herennium* cultores. Non alium quam *Ordines Iudiciarios* librum conscripsit anno circa millesimo ducesimo sexagesimo secundo (1262) Aegidius Fuscararius, professor Bononiensis, quo in libro apparet *Rhetoricam ad Herennium* auctori bene fuisse cognitam (J. Ward 1995: 117sq.). Item in *Summis* dein conscribendis *Rhetoricam ad Herennium* et Ciceronis *Libros Rhetoricos* adhibitos esse scripsit J. Ward 1995: 124.

At *Rhetoricam ad C. Herennium* ab iis quam maxime frequentatam uidemus uiris doctis, qui Germania in Inferiore et in Italia Cisalpina, ut Magister Menegaldus (J. Ward 1995: 136), floruerunt et Commentaria Rhetoricae confecerunt, quibus cito in Gallia Franci magistri adstipulati sunt. Menegaldi Commentari seu Glossarum est nunc praesto editio praeclara, quam summa diligentia curauit Philippus Bognini (2015), qui *Prolegomena* quoque docta et ad similia opera inuestiganda et penitus cognoscenda perutilia confecit. Praeclarum autem et doctissimum Commentarium conscripsit Theodoricus Brito, qui circa annum millesimum centesimum quinquagesimum septimum (1157), mortuus est, sed quoad uixit, cum Parisinis doctis uiris in inquirenda rhetorica sociatus fuit (cf. Karin M. Fredborg, *The Latin Rhetorical Commentaries*, pp. 45–215: Commentarius super *Libros De Inuentione*, pp. 217–361: Commentarius super *Rhetoricam ad Herennium*).

De his commentariis nuper optime egit Philippus Bognini 2008b, qui ostendit quantum Albericus e Monte Casino *Rhetorica ad Herennium* usus sit et quam apte nonnullas figuras ex hoc opere receperit, in primis *contentionem* et *contrarium*, id est *antithesin*, quae etiam in Pauli Apostoli epistulis occurrerit (*II Cor.* 6,7–10) et ab Augustino laudata et magni facta sit (*ciu.* 11,18). Nec has tantum figuras ex *Rhetorica ad C. Herennium* Albericus plus minusque sumpsit, sed etiam *gradationem* et *expolitio-*

nem, quibus exornationibus Bognini scribit (ad p. 17–19) Albericum ipsum satis superque uti consuesse, et idcirco eas esse amplius quam reliquas figuras frequentatas.

In proemii uero doctrina multum *insinuationi* semper tributum esse, necesse est meminerimus, quae in *Rhetorica ad Herennium* attentissime tractata et melior, ut Auctor scribit, facta est (I 6,9–7,11; I 9,16), et hoc opus a medio saeculo duodecimo (XII) tamquam exemplar omnibus doctis uiris, qui rhetoricam et litteras colerent, factum est (J. Ward 1995: 144–147). His autem in commentariis admonebatur non modo in *Libris Marci Tullii Rhetoricis* multa deesse, quae in *Rhetorica ad Herennium* exstarent, sed etiam Marco Tullio inuentionis leges et usus rursus explicandas fuisse (putabatur enim Cicero etiam *Rhetoricam ad Herennium* conscripsisse). Quoniam autem *Rhetorica ad Herennium* melior et correctior quam *Rhetorici Libri* esse credebatur, ad reductionem reuenire, qui Commentaria instruxerunt, coacti sunt, quasi nimis in *Rhetoricis Libris* redundantia Cicero in *Rhetorica ad Herennium* optimo iure amputasset. Quod glossā quādam saeculi XII in Cod. Marc. Lat. XI, 23 (4686), ad folium 45u, ad *Rhet. Her.* I 3,5, satis significatum inuenias: *set queras cum in priore rethorica diuisionem accidentalium generum fecisset per quinarium, quare hic eam faciat quadrimembrem, et dico quod hic corrigit quod ibi superflua posuit. Vt enim ipse in libro de oratore [1,5] testatur sibi puero a scolis exeunti quidam libri sunt elapsi*). Ita a medio saeculo duodecimo (XII), cum prius Commentaria ad Ciceronis *De inuentione* effci consuessent, eorum, qui Commentaria struerent, ingenia et studia in libros *ad Herennium* conuersa esse monet nos J. Ward, qui scribit “commentaries on the *De inuentione* virtually disappear, and a series of large scale *Ad Herennium* glosses is inaugurated by lecturers who taught the *De inuentione* only incidentally or not at all” (J. Ward 1995: 154sq.). Quae attentissime et diligentissime Ioannes O. Ward huius aetatis in studiis et scholis exquisiuit et exposuit, *Glossis* clauduntur, quibus Theodericus Brito aut Abelardus aut Hugo ex Sancto Victore incubuerunt, et Continuationibus (Hugo etiam memoriae operam dedit, et capita de Memoria, quae in *Rhetorica ad C. Herennium* occurrunt, recepit, cf. J. Ward 1995: 182sq.). Tum Commentarium Ioannes Ward considerauit, quod Odalrichus e Durocortoro confecit et quod ad nos duobus libris manu scriptis seruatum peruenit, MSS Augustae Treuerorum Stadtbibliothek 1082 (32) 8° fol. 114r–179u. (saec. XI–XII) et Heidelbergae Uniuersitätsbibl. Hs. 100 (J. Ward 1995: 166). Duodecimo saeculo etiam ars «aren-gandi» seu dictamen floruit, qua arte uiri docti in epistulis potissimum scribendis usi sunt. Ea autem in arte tria tantum officia oratorum adhiberi consueuerunt, *exordium*, *narratio*, et minus saepe *conclusio*. Aliqua officia praecipue ad epistulas scribendas excogitata sunt (“the *ars dictaminis* in this period appears to have restricted itself to establishing norms for those parts of rhetoric most relevant to the composition of letters”, I.C. Alessio, “The Rhetorical Juvenilia of Cicero” 341). Fuerunt enim officia oratoris, quae in antiquis artibus inueniuntur partim modo eadem atque officia, quae a dictatoribus frequentata sunt, qui non in causis uictoriam consequi uellent, sed cuiuspiam litteras seu certiore facienda seu blandiendi seu hortandi causa mittere. Praeterea, ut Ioannes Carolus Alessio memorauit (“Juvenilia” 335), nonnullae par-

tes rhetoricae magno usui ad dictamen fuerunt, ut *elocutio*, cuius figurae sexaginta quattuor in *Rhetorica ad Herennium* praesto erant, sed quae partes ad iudicia et forenses concertationes factae nec usui epistolis mittendis essent, eae neglectae sunt. Dictandi autem ars Bononiae praecipue frequentata est. Cuius artis historiam I.C. Alessio (“Juvenilia” 336–363) describendam suscepit. Primo igitur scripsit Ciceronis *Rhetoricos Libros*, dein Ciceronis *Rhetoricam ad Herennium* usu seu docendi seu imitandi causa fuisse, sed librorum *ad Herennium* eos praecipue adhibitos esse, quibus *elocutio* et *exornationes uerborum* et *sententiarum* continerentur. At negari non potest, ut Ioannes Ward nos admonuit¹²⁷, per *Rhetoricam ad Herennium* tamquam portas rhetoricae artis apertas esse. Gradus igitur distinguere possumus, per quos ad maiorem *Rhetoricae ad Herennium* cognitionem et usum uentum sit: maioris enim momenti eum gradum fuisse apparet, quo Commentaria confici coepta et continuata sunt. Facere autem non possum, quin Alani ab Insulis Commentum memorem (MS BL Harley 6324), de quo Henricus Caplan (1970) et Ioannes Ward (cf. J. Ward, *Ciceronian Rhetoric* 20–24) diligentius egerunt. Alani Glossae factae sunt, ut J. Ward (1995: 178) ostendit, “a standard curriculum text at Bologna from perhaps 1275”. Quibus Commentariis non modo multa uocabula rhetoricae explicata sunt, tametsi saepissime synonymis tantum adhibitis, sed id etiam probatur, his operibus perlectis, uiros doctos eius aetatis cupiditate et studio Romanae et Graecae rhetoricae cognoscendae incensos esse (qua de re cf. S. Karaus Wertis, “Commentary of Bartolinus” 283sq., et infra). His autem ex commentariis duo praecipue digna sunt, quae memorentur, alterum, quod Iacobus de uico Dinanto conscripsit, alterum, quod Bartolinus de Benincasa de Canulo. Iacobi Commentarium exposuit I.C. Alessio (1994), qui reliquias quoque huius Commentari edidit. Nam, quae etiam nunc huius Commentari exstant, apud Bibliothecam Estensem Mutinae uno codice seruantur (Ms. a F. 5. 3 (Lat. 714), saec. XV) (Omnia collegit I. C. Alessio, *Il Commento di Jacques de Dinant* 855–894). Putat autem Alessio hoc libro scholas partim, quas magister Iacobus ex Loydieni dioecesi (ita appellatur Iacobus) in Studio Bononiensi anno 1291 habuit, contineri¹²⁸.

Quod autem ad Bartolini Commentarium pertinet, cf. quod Alexandra Karaus

127 J. Ward, *Ciceronian Rhetoric* 293: “later medieval and especially Italian study of the *Ad Herennium* was seen a prerequisite or co-requisite for specialist training in *dictamen* and epistolography”. Cf. G. Calboli, “The Knowledge of the *Rhetorica ad Herennium* as «prerequisite for training in *dictamen*»” 44–55. *Dictamen* ab Alberico e Monte Casino inuentum esse creditur, quamquam Franciscus Joseph Schmale, 1961, et Vincentius Licitra, 1977, Adalbertum Samaritanum maluerunt *dictaminis* inuentorem putare. Adalbertum autem Samaritanum scholam habuisse Bononiae (1111–18) et haud pauca de *exordio* et *arte dictaminis* disputasse et ab Hugone Bononiensi tamquam exceptum esse (1119–24), qui item Ciceronis *Libris Rhetoricis* et *Arte Rhetorica ad C. Herennium* usus sit, ut Adalbertus, docet Ioannes Carolus Alessio, 2006: 339–345. Nunc autem Alberici inuentio a F.J. Wortsbrock 1989 comprobata et confirmata esse putatur, tametsi Adalbertus et Hugo *dictamini* operam sedulo Bononiae dederunt et multimodis explicarunt, quomodo *exordium* adhibendum esset (Hugo et narrationi operam dedit). Sed omnes ad Albericum quacumque ratione se referre non dubitarunt, cf. Philippum Bognini, 2008a: XXXIII–XXXV.

128 Quod fieri potuisse opinatus est etiam Ioannes Ward, *Ciceronian Rhetoric* 178sq.

Wertis scripsit, apud quam (pp. 297–302), et corpus librorum manu scriptorum inuenias, quibus Bartolini Commentarium traditum est. Aristotelis quoque scripta Karaus Wertis a Bartolino adhibita esse probauit, nempe *Rhetorica, Analytica Posteriora, Physica, Ethica, Topica, Metaphysica, Politica*, eiusque Commentarium ita uerita non est definire (ad p. 296): “His work (sc. Bartolinus’ Commentary) belongs to the first generation of full-scale Italian rhetorical commentaries: though not himself the first Italian commentator on the *Ad Herennium* he is likely to emerge as the most original, certainly the most influential, at least until the lecturing days of Guarino da Verona (the 1430s.)”. Hoc ipso uero Commentario Alexandra Karaus Wertis scribere inducta est (ad p. 283sq.) ea aetate, cum *Rhetoricam ad C. Herennium* optime esse explicatam et illustratam, tum uiros doctos saeculo decimo quarto ineunte, studio et cupiditate ueteres Graecos et Romanos auctores melius congoscendi esse repletos. Renascentibus igitur litteris et studiis, his commentariis uiri docti ad ueteres auctores uelut iterum introducti sunt: tunc ortum est – scribit illa – studium amplius uetera cognoscendi, “came a desire on the part of the Italian teachers of rhetoric to return once again to a study of classical authors. [...] This was one of the trends which signalled the early beginnings of humanism in Italy; for the humanist rhetorician was no longer interested exclusively in the art of letter-writing, but in the classics themselves and in the benefits to be derived from their study”.

Dein Guarini quoque Veronensis, qui professor in Vniuersitate Ferrarensi fuit, Commentarium Ioannis Ward attentissimos oculos non effugit et longa et docta et acuta dissertatione explicatum est (cf. J. Ward, “The Lectures of Guarino da Verona” 97–127). Quam autem *Rhetorica ad C. Herennium* a doctis Renascentis, ut appellant, aetatis culta sit, diligenter enarrauit Phil. Cancelli, *La retorica a Gaio Erennio* pp. 73–93, quae digna sunt, quae attente legantur.

Sed, quo clarius appareat Artes Dictandi et *Rhetorica ad C. Herennium* quantum connexae fuerint, ea studia conferenda esse admoneo, quae D. E. Grosser, *Studies* 66–106, confecit, nec disputationem ausim dicere neglegendam, qua ego quidem ipse hac de re usus sum, cum scholis interfui, quas sua serie rhetoricorum operum Lucia Calboli Montefusco haud multis abhinc annis collegit (*Papers on Rhetoric V, Dictamen, Poetria and Cicero* 2003).

Sed *Rhetorica ad C. Herennium* et Marci Tulli Libri Rhetorici quantum sint a uiris doctis Mediae Aetatis, qui dialecticam ut Petrus Helias coluerunt, tractati et considerati inuestigauit aliquot ante annos K. Margareta Fredborg (2009), quae non modo Theoderici Britonis Commentaria (1988), sed etiam *Accessus Summae Petri Heliae* (pp. 163–182) edidit.

11. Quomodo et quibus sit *Rhetorica ad C. Herennium* libris manu scriptis tradita.

Hac de re praecipue egerunt: F. Marx 1894; K. Manitius, 1956; A. Stückelberger, 1965; G. Achard, 1989; A. Hafner, 1989; M. Spallone, 1980; 1997; G. Calboli, 1996a; 2002a; 2014a; R. Taylor, 1993a et b, 1995; 2011.

Ex iis, quae supra diximus apparet, quam saepe *Rhetorica ad C. Herennium* Media Aetate et Renatis Litteris non modo adhibita, sed inuestigata sit. Huc adde, quod Commentaria et glossae nonnullis codicibus, ut **B**^u continentur, qui ad scholas habendas explicandas conscripti et usurpati sint. Quod si consideraueris, iam clarius apparebit, cur tam multi codices huius operis exstiterint, tam multi, qui centiens multiplicati et innumeri ad hunc diem sint. Quibus scilicet et magistri et discipuli rhetoricae docendae discendae uterentur. Nonnihil igitur iam superiore capite hac de re egimus et nonnullos libros manu scriptos et memorauimus et descripsimus. Plurimis enim codicibus *Rhetorica ad C. Herennium* tradita est, qui prope omnes littera Carolina seu posteriore Gothica, duobus tantum, quod sciam exceptis, conscripti sunt, ne de recentioribus loquar, qui nonnumquam humanisticis, quas appellant, scripturis exarati sint. In duobus autem manu scriptis libris, qui ambo in Bibliotheca Medicea Laurentiana seruantur, litteram inuenias Beneuentanam, nempe in Mediceo Laurentiano 51. 10 (L) et 50. 10 (f). Ambo praesto mihi fuere et his sum semper usus. Lutetiae Parisiorum, in aedibus, quae *Institut de Recherche et d'Histoire des Textes* (IRHT) appellantur, trecentos octuaginta (380) manu scriptos libros memoratos inueni, quorum copiae phototypice per 'microfilms' aut 'microfiches', ut uocant, expressae ibi exstarent aut facillius reperiri possent. Ruth Taylor ("«Pre-History»" 182, n. 4) prope sexcentos (600) numerauit et quingentos octuaginta septem (587) circiter cognouit, sed plures esse suspicata est, si quis et priuata archia inuestigare posset. C.L. Kayser bonae editioni suae conficiendae anno 1854 nonaginta et unum libros manu scriptos adhibuit, Marx uero, quadraginta annis interpositis (1894) eos ad nouem tantum redegit, tam multis usus est Fridericus Marx codicibus. Quocirca non uereor dicere, non bonam a Friderico Marx editionem, quod ad codices spectat, paratam esse, qui secundam codicum familiam, quam Kayser constituerat, omnino ut inutilem reiecerit et, bonorum codicum numero tam paruo facto, huius generis studia non promouerit, sed quodammodo impediuerit¹²⁹.

Equidem nunc maioris tantum momenti codices memorabo atque eas tantum connexiones, quae Antonius Hafner, P. Ruth Taylor, Magdalene Spallone et alii recentioribus inuestigationibus instituere potuerunt. Fateor autem nonnullos a me codices ex iis, quos Ruth Taylor ("Codices Integri" 130) numerauit et bene explicauit, neglectos esse, quod etiam infirmitati meae, qua extremis tribus annis prope usque ad hunc diem laboraui, tribuendum est. Hoc aegre tuli et fero, sed mihi solacia

129 Cf. quae bene et luculenter P. Ruth Taylor, "Pre-History" 183–185, enarrauit et explicauit.

sunt duo praesto: primum, quod codicum, quibus *Rhetorica ad C. Herennium* tradita est, post Kayser, qui plures familias agnouerat, hodie familiae acceptae sunt tres, nempe Mutilorum, Integrorum, Expletorum, quorum patres familias ignoti sunt. Solent enim in critica arte, ut uocant, exercenda, codicum familiae idcirco inuestigari, ut patre familias cognito et excusso, liberi et liberti non amplius inuestigandi esse uideantur et, ueluti ‘codices descripti’, quos appellant, dimittantur et neglegantur. Quod in *Rhetorica ad C. Herennium* accidere nequit, cum codices descripti sint nulli neque patres familias noti (hyparchetypi uocantur, sed mente cogitati tantum, uisi nusquam sunt). Ex pluribus igitur libris manu scriptis haud multum interest unum addas aut tollas. Secundum autem solacium est, quod, Achard et Müller exceptis, nemo alius tot locos *Rhetoricae* contulit *ad C. Herennium*, quot ego ipse contuli et inuestigauit, cum et Taylor et Spallone, quae sunt de *Rhetorica ad C. Herennium* illae quidem optime meritae, non ultra secundum et primum librum se contulerint, neque plus uicenos tricenos locos inuestigarint. Nec satis est.

Vt postea uiderimus, ego quidem ipse ueritus sum, duobus de causis alias connexiones statuere, primum, quod apparatu positio instructo, futuros inuestigatores uel lectores in libertatem uindicare malui, ut, quas ipsi uellent et possent connexiones, meo apparatu considerato, eas proponerent et acciperent, dein, quod, contaminatione usquequaque imperante¹³⁰, quam quis connexionem quodam loco nisis instituisset, eam profecto illum ipsum insequenti continuo altero loco immutare bene noueram coactum iri. Denique odi eos, qui erroribus coniunctiuis nisi, qui saepius errores non sint, connexiones et nexus hallucinentur, ut modo aliis locum postea dent eosdem nexus haud minore arrogantia negandi atque abolendi¹³¹.

Rhetorica enim *ad C. Herennium* dum traditur, id accidisse nouimus, quibus libris manu scriptis hoc opus ad nos sit traditum, eos in scholis primum adhibitos esse et iis libris usos esse doctores, qui scholas haberent et rhetoricam hoc opere usi adolescentulos aut adulescentes docere consuissent. Conabantur enim in Coenobiorum et Ecclesiarum scholis artem rhetoricam plurimi adulescentes discere, qui conueniendi et communicandi modis et rationibus imbui uellent: monachorum enim et sacerdotum Christianae religionis doctoribus erat hoc officium impositum sacram doctrinam et dicendi regulas et facultates et legum et iuris instituta nosse et docere et populum adloqui, id est orationes habere. Bona dicendi facultate iis opus erat. Qua meliore arte quam rhetorica id consequi poterant? Cum praesertim et iuris prudentia et litterarum cognitio et Latini sermonis per grammaticam moderatio hac arte

130 Vt optimo iure Ruth Taylor, “The Expleti-Recension” 163, scripsit: “Both the nature of the text and the historical context largely account for the extent of this contamination. Contamination, indeed, is a process to which the *Ad Herennium* was inevitably prone. The *Ad Herennium* sets out to teach the rudiments of rhetoric in a systematic fashion accessible to the beginner and more experienced student alike”. Constat enim hoc opus in omnium generum scholis, Coenobiorum, Ecclesiarum, Vniuersitatum doctoribus et discipulis magno usui fuisse.

131 At quas connexiones Ruth Taylor, 1993a et b; 1995, et Magdalene Spallone, 1980 et 1997, instituerunt, eas quantum potui, recepi.

nonnihil continerentur. Quae enim scribendi et memorandi instrumenta hodie ualle, quae Silicon dicitur, maxime floruisse et uigere et expandi uidemus – recentiores ‘Informaticam’ et ‘computer’ appellant –, eadem prope instrumenta in coenobiis primum, dein in Ecclesiis et denique in Vniuersitatibus, id est libros manu in membranis scriptos floruisse et uulgatos esse nouimus. Quodsi computers nondum inuenti erant, at chartae ex pecudum pellibus exstabant et membranae, quae tantam messem litterarum acciperent et quodammodo seruarent. His igitur chartis et libris ueteres Romanorum doctrinas et artes et ex artibus eam, qua et dicendi et argumentandi facultates docerentur, id est rhetoricam, conseruatas et diffusas esse mirandum non est. Neque mirandum tot codices *Rhetoricae ad C. Herennium* conscriptos et diffusos esse, quibus ars rhetorica quattuor tota libris doceretur, idque a maximo huius artis et dicendi magistro, Marco Tullio, confectum esse putarent.

Vtut haec res sese habuit, plurimos uel potius innumerabiles huius operis codices existisse uidemus. Singulare et prope unicum, Bibliis tantum exceptis, conseruatae antiquitatis exemplum. At per scholas hic textus ad nos peruenit, glossis et emendationibus hic illic ita immutatus, ut uix, qui ex Auctoris calamo exisset, iam agnosci posset. Eoque difficilius ad pristinum statum reduci potuit et potest, quo doctores ii magistri fuerint, qui euoluendis et legendis et corrigendis iis paginis operam dederint. Huc adde, quod innumeris codicibus hoc opus traditum est, quod uerae lectiones recentioribus quoque codicibus nonnumquam prolatae sunt, quod nullum prope codicem ut descriptum demittere possis, iam tute, lector, intelleges, quam Herculei laboris usque ad hunc diem fuerit et etiam nunc sit, hunc textum ad pristinam integritatem reducere. Conatum me esse gloriol, tam saepe fefellisse me pudet. Quodsi tuas, lector, addideris uires et manus, et posteros nostros ad hoc opus uocaueris, fieri posse spero, ut haec messis, quae in herba est, quandoque tandem metatur. Quando non est mihi datum noscendi, cui unum clarius, quantum cerno, pateat, non per unum solum, sed tantum per plures, qui sint ‘computer’ sine dubio usi, hoc tandem effici posse.

Codices Mutili (M)

- H** = Herbipolitanus, Würzburg, Universitätsbibliothek, M. p. misc. f. 2, saec. IX^{med.} (Hafner, *Untersuchungen* 43f.); R. Taylor (“Pre-History” 217) anno 850 putat conscriptum.
- B** = Bernensis, Burgerbibliothek Bern, 433, saec. IX^{med.}, at 1,1,1–1,7,11 (fol. 2u–5r) saec. X/XI addita sunt, sed ante tempus, quo sunt Expleti codices conscripti (Hafner, *Untersuchungen* 45–50); R. Taylor (“Pre-History” 217) quae post annum 825 conscriptum putat.
- P** = Parisinus Latinus, Bibliothèque Nationale, Paris, 7714, saec. IX^{3/4} (Hafner, *Untersuchungen* 44f.); R. Taylor (“Pre-History” 217) anno 875 putat exaratum a priore manu, paulo post correctum ab altera.

- II** = Parisinus Latinus, Bibliothèque Nationale, Paris, 7231, saec. IX^{1/4} (R. H. Rouse, *Texts and Transmission* 110; Hafner, *Untersuchungen* 75).
- C** = Corbeiensis, nunc Sanpetroburgensis, F. V. Lat. Class. 8, saec. IX^{3/4} (Hafner, *Untersuchungen* 50f.; B. Huelsenbeck, 2013); R. Taylor (“Pre-History” 217) inter 875 et 900 credit exaratum hunc codicem esse.

Codices Integri (**I**)¹³²

- A** = Bambergensis Class. 29 (M. V. 3); saec. X^{3/3}-1000 (Hafner, *Untersuchungen* 51–53). Scriptura Carolina.
- F** = Frisingensis, Clm 6403, Bayerische Staatsbibliothek München, saec. X^{ex} (Spallone, “La trasmissione” 164; Hafner, *Untersuchungen* 54–56).
- V** = Vadianus 313, St. Gallen (Stadtbibliothek), saec. XI^{med} (Hafner, *Untersuchungen* 56–66), Cf. A. Stuckelberger, “Der Codex Vadianus 313”, 217–228; et J. Ward (2019: 232 Adn.18): “the MS has been incorrectly labelled ‘Vadianus’ but although it is now kept in the Vadianische Bibliothek, it formed no part of the original Vadiana bequest”.
- L** = Mediceus Laurentianus, Firenze, Biblioteca Mediceo-Laurentiana, plut. 51. 10, saec. XI^{ex}, cf. M. Spallone, “La trasmissione” 167–190; Eand., “Testo e dintorni” 115; A. Hafner, *Untersuchungen* 66–74. Hunc codicem cognouit F. Marx, *Prolegomena* 36, “ex tab. XVII Aemilii Chatelainii *Paléographie des classiques latins* 7”, sed indignum maiore consideratione iudicauit. Scriptura Beneuentana.
- Z** = Londinensis BL Add. MS. 11916, saec. XI^{ex}/XIIⁱⁿ (Spallone, “La Transmission” 169 sq., quae diuersas partes et scripturas huius codicis (carolinam et beneuentanam) distixit; Hafner, *Untersuchungen* 76).
- c** = Vaticanus Chigianus H. VI. 179 (Pellegrin I p. 331; Taylor, “*Codices Integri*” 126sq.: hunc codicem Taylor signat littera X; cf. Spallone 1997: 114). Saec. XI^{2/2}.
- π** = Palatinus Latinus 1522, saec. XI, membranaceus, scriptura Francogallica, litteris dextera leuiter inclinatis, foll. 77r-127u, ex Bibliotheca Palatina Heidelbergensi (Pellegrin II, 2, p. 175; Taylor, “*Codices Integri*” 125sq.).
- O** = Ottobonianus Latinus 1190, saec. XII (Pellegrin I, pp. 470sq.). Cum **c** saepius facit.
- o** = Ottobonianus Latinus 1864, saec. XII (Pellegrin I, p. 694sq.).
- B^s** = Bononiensis Bibl. Uniu. Bonon. 2516, saec. XIII (Fрати perperam ad saec. XV adscripsit, sed uetustior esse uidetur).
- B^u** = Bononiensis Bibl. Uniu. Bonon. 2461, saec. XIV^{med} (annis 1351–3 exaratus esse uidetur).

132 Cf. R. Taylor, “*Codices Integri*” 118–131.

Incertum, quantum equidem intelligo, manet, utrum codices πOo Integrorum familiae an E(xpletorum) adscribendi sint; quocirca eorum sigla insequenti pagina iterabuntur. Integros potius dixerim, qui eos cum $\text{P}^2\text{ALVffZcO}$ saepius una facere animaduverterim. Videtur igitur non prorsus improbabile esse hos omnes codices ex communi quodam fonte manasse et inter Integros stipendia, ut dicitur, mereri. Sed, qui hanc artem coniungendorum separandorum manu scriptorum librorum, erroribus, quos separatiuos coniunctiuos appellant (Bindefehler) incertissimam existimem, quae erroribus nitatur, qui saepius errores non sint, longius hac uia procedere ueritus sum. Apparatu positiuo uiam instruxi, qua audaciores et feliciores ambulare mallent. In uestibulo incertarum et prope collabentium aedium, nisi nouis instrumentis firmiores factae sint, ego quidem ipse prudentius malui manere.

Codices Expleti (E),

Quales uidelicet iudicarunt Marx et Achard et Taylor. Equidem ualde dubito, an haec Expletorum familia re uera umquam exstiterit, cum Bernensem tantum (B) expletum uiderim esse. At P. Ruth Taylor, “The Expleti-Recension” 170–172, ostendit huius familiae hyparchetyrum ($\acute{\upsilon}\pi\alpha\rho\chi\eta\tau\iota\pi\omicron\nu$ Graece simulatum uocabulum) hoc uno a Mutilus et Integris distingui, quod Ciceronis libri *De inuentione* una cum *Rhetorica ad Herennium* his in codicibus conscripti sint, cum in Mutilus et Integris *Rhetorica ad Herennium* cum Ciceronis *De inuentione* coniuncta non sit. Quod tamen codicis c (Chigi H. VI. 179) exemplo refutatur, cum hoc codice, qui Integrorum Familiae adscribendus est, *Libri Ciceronis Rhetorici (De inuentione, f. 3–43u)*, et Grillii Commentarium *In Ciceronis libros*, qui sunt *De inuentione* (f. 44–68u) et *Rhetorica ad Herennium* (f. 68r–118u) contineantur¹³³. Sed tota opinio, quam Ruth Taylor expressit, erroribus (id est ‘Bindefehler’, quos appellant) nititur. Viginti tales collegit errores (R. Taylor, “The Expleti-Recension” 162), sed ex uiginti quattuor solum errores certi mihi esse uidentur: IV 42,54; IV 43,55; IV 44,57, quod idem de iis erroribus dici potest, quibus est Taylor usa, ut Expletos a Mutilus et Integris distingueret: plerique non errores, sed uariae lectiones sunt uel mihi esse uidentur, cum duabus lectionibus propositis, ex E altera, altera ex MI, ultra sit errore infuscata, dubitari semper possit et debeat. Proprium autem subarchetypi codicum E Ruth Taylor contendit hoc esse, quod insulari scribendi ratione is codex conscriptus sit, ut ex erroribus appareat. Vtrum autem ipsa in Britannia conscriptus sit an extra Britanniam quodam in scrip-

133 Quod idem dici potest de insequentibus codicibus: Clm 14601, München, Bayerische Staatsbibliothek, Taylor, “*Codices Integri*” 120 (hic tamen *Libri Rhetorici*, qui sunt *De inuentione*, [f. 54r–76r] uocantur: “Vetus Rethorica Marci Tulli Ciceronis”); Guelf. 4. 11. Aug. 4^o, Wolfenbüttel, Herzog-August-Bibliothek, Taylor, “*Codices Integri*” 123 [f. 1u–42r Cicero *De inu.*]; Cambridge, Peterhouse 248, Taylor, “*Codices Integri*” 126 [f. 1u–31u Cicero *De inu.*]; Firenze, Bibl. Medicea Laurentiana, plut. 50. 43, Taylor “*Codices Integri*” 127 [f. 3r–43u Cicero *De inu.*].

torio, ubi scribendi ratio insularis adhiberetur, ut in Bobbi Monasterio et Sancti Galli, non satis liquere Taylor ipsa concessit.

- a** = Ambrosianus, Milano, Bibl. Ambrosiana, M 58 sup., saec. XI (Achard, p.LXI et LXVIIIsq.).
- α** = Albinensis, Lamballe, Bibl. Munic. 3, saec. XII^{des.} (Achard, p.LXXV; B. Munk Olsen 1982, I, p.194).
- b** = Bambergensis, Bamberg Class. 22 (M. V. 8), saec. XII^{ex} ((J. Simon 1864: 17; Hafner, *Untersuchungen* 74).
- β** = Bernensis, Bern Burgerbibliothek 469-II (saec.XI^{ex}) (B. Munk Olsen 1982, I, pp 152sq.; Achard, p.LXXV).
- f** = Mediceus Laurentianus, Firenze, Bibliotheca Mediceo-Laurentiana, plut. 50. 10, saec. XI^{ex}/XIIⁱⁿ (Taylor 1993b:115 n. 11; Spallone 1997: 128; 143 Hafner, *Untersuchungen* 76) litteris Beneuentanis.
- l** = Leidensis Gronouianus 22, saec. XII (J. Geel 1852: 127; Hafner, *Untersuchungen* 74).
- d** = Darmstadiensis 2283, saec. XII² (Hafner, *Untersuchungen* 74).
- k** = Codoniensis, København, Kgl. Bibliotek, Gl. kgl. S. 1999 4°, saec. XI^{ex}. Achard uocauit hunc codicem Codoniensem **c**, et idcirco a me **k** (k[odoniensis] appellatus est, littera **k** adhibita, ut a **c** (Vaticanus Chigianus H. VI. 179) distingueretur; P. Ruth Taylor, “The Expleti-Recension” 164, signat littera **c**.
- v** = Leid. Vossianus (Lat. no. 103, Marx², p. XV; Hafner, *Untersuchungen* 76).
- s** = St. Gall. Stiftsbibl. 852, Descriptus est a Ruth Taylor, “The Expleti-Recension” 165.
- π** = Palatinus Latinus 1522, saec. XI (Pellegrin II,2, p. 175; Taylor, “*Codices Integri*” 125).
- O** = Ottobonianus Latinus 1190, saec. XII. (Pellegrin I, pp. 470sq.). Cum **c** saepius facit.
- o** = Ottobonianus Latinus 1864, saec. XII (Pellegrin I, p. 694sq.).
- n** = Parisinus Latinus 7744 (Kayser XXVIII; Taylor, “The Expleti-Recension” 165, signat littera **n**).
- ç** = Vaticanus Chigianus H V 144 nihil longius quam ad definitionem peruenit.
- h** = Bibliotheca Mediceo-Laurentiana, plut. 50. 28, cf. P. Ruth Taylor, “The Expleti-Recension”, p. 170, quae nonnulla addidit, quae dignissima sunt, quae noscamus: “Prof. A.C. de la Mare has kindly informed me that this manuscript is the work of the Florentine scribe Ser Giovanni di Piero da Stia and that it may be dated to the period 1450–1460⁵⁴. [⁵⁴ Letter dated 17. 8. 90. Prof. de la Mare allows for the possibility that it may have been copied a *little* earlier than 1450]. The manuscript measuring 230x158 mm contains the *Ad Herennium* alone on 90 folia”.
- ĥ** = Hugonensis, Durham, Dean and Chapter Library, C. IV. 5 (inc. saec. XII, Achard, p. LXXV).
- U** = Upsaliensis C928, signaui **U** (B.Munk Olsen 1982 I, p.290; P.Ruth Taylor, “The Expleti-Recension”, p. 168sq.).

- u** = Vaticanus Urbinas 1144, saec. XII–XIII (Pellegrin, II,2 p. 653).
g = Vaticanus Borgh. 84, saec. XII (Pellegrin, I p. 223).
p = (Vaticanus) Palatinus Latinus 1756 a. 1464. palinps. (Pellegrin II,2, p. 406sq.; A. Zago 2017: CVIII).
r = Bruxellensis, Bibliothèque royale 15559 saec. XII^{2/2} (R. Taylor, “The Expleti-Recension”, p. 167).
(B^s) = Bononiensis Bibl. Uniu. Bonon. 2516, saec. XIII (Fрати perperam ad saec. XV adscripsit, sed uetustior esse uidetur).
(Bⁿ) = Bononiensis Bibl. Uniu. Bonon. 2461, saec. XIV^{med} (annis 1351–3 exaratus esse uidetur).

Quod ad tres libros manu scriptos spectat, **O, o, π**, cf. quae supra scripsimus. Bononienses duos fortasse melius Integrorum familiae adscribas, nisi quod recentiores sunt.

Insequentes libros semel adhibui, cumque nullum signum inuenissem, quo Expletos putarem, Integros iudicavi:

- p⁸** = Parisinus Latinus 7740. B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latins*, Tome I, p. 266.
p⁹ = Parisinus Latinus 7741. B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latins*, Tome I, p. 266sq.
p¹¹ = Parisinus Latinus 7743 cm. 22,5×13, saec. XIII^c, quo tempore hic exaratus sit, inueni Lutetiae Parisiorum in IPHT, apud *Centre National de la Recherche Scientifique*.
w⁹ = Vindobonensis Palatinus 276. B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latins*, Tome I, p. 313.
w¹⁰ = Vindobonensis Palatinus 240. B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latins*, Tome I, p. 312.

Etiam insequentes libri manu scripti uidentur Expletorum familiae (melius si **E** tantum familiam uocaueris) adscribendi esse:

Parisinus Latinus 7695 (saec. XIV, Kayser p. XXVIII), 7696 (saec. XI, Hafner, *Untersuchungen 75* – hunc solum codicem Caplan iis addidit, quibus Marx usus erat), 7699 (saec. XIV, Kayser, p. XXVIII), 7745 (saec. XII–XIII, Kayser p. XXVIII). Quo tempore tres hi codices Parisini conscripti sint, inueni in *Centre National de la Recherche Scientifique (Institut pour l'Histoire des Textes)*.

Codices Vaticani

Sunt igitur Codices Vaticani, utrum Integrorum an **E** familiae adscribendi sint, in incerto relictis:

- c** = Vaticanus Chigianus H VI 179 (saec. XI^{med}, Pellegrin, I p. 331; Taylor, “Codices

integri” 126sq., a Taylor X signatus). Cf. supra (Codicus Integros). **Hunc librum semper adhibui, ut insequentes Ottobonianos duos.**

- O** = Vaticanus Ottobonianus 1190, saec. XII (Pellegrin, I pp. 470sq.).
o = Vaticanus Ottobonianus 1864, saec. XII (Pellegrin, I p. 694).
π = Vaticanus Palatinus Latinus 1522, saec. XI (Pellegrin, II,2 p. 175; Taylor, 1993b: 125sq.).
p = Vaticanus Palatinus Latinus 1756, saec. XIII (Pellegrin, II,2 p. 406).
ċ = Vaticanus Chigianus H V 144 nihil longius quam ad definitionem peruenit.

Codices Bononienses

- B^s** = Bononiensis Bibl. Uniu. Bonon. 2516, saec. XIII (Fрати perperam ad saec. XV adscripsit, sed uetustior esse uidetur), ex S. Seruatoris coenobio, cm. 20x25, membranaceus singulae paginae uicenas quaternas (24) lineas continent, singulis conscriptas columnis. Ex chartis 54, numeris in margine superiore dextero rectae partis obsignatis, constat. Margines sunt satis ampli relictis, qui sint in exteriori paginae parte cm. 5,5, in interiori cm. 2,5, in superiore cm. 3, in inferiore cm. 5, commentariis hic illic in marginibus additis. Primae singulorum capitum litterae rubricatae sunt et duobus picturis ad chartas 9r et 22u ornatae. Ablatus est quaternio in extremo libro III a III,22,37 (*si non multas nec uagas sed aliquid*) usque ad IV 14,20 (*sunt qui federa ruperunt*), sed chartae numeris ita notatae sunt, ut nulla lacuna appareat. Quo probatur quaternionem ante ablatum esse, quam chartae numeratae sunt. Litterae Carolinae ad recentiore scribendi rationem exaratae esse uidentur.
- B^u** = Bononiensis Bibl. Uniu. Bonon. 2461, saec. XIV^{med} (R. Dieci 2004; Frati perperam ad saec. XV adscripsit), cm. 21x28, membranaceus, amplissimi margines, commentariis minutis cursiuis, ut appellant, litteris usquequaque occupati (Cencetti 1997: 200–203). Ditissimo enim commentario hic codex praeditus est. Singulae paginae in binas columnas diuisae sunt. Vnaquaque columna uicenas quaternas (24) lineas comprehendit. Margines exteriores cm. 5, interiores cm. 2, inter binas columnas minus cm. 2, superior cm. 4, inferior 8. Litteris, quas uocant, Gothis exaratae paginae. Scriptura tamen, ex interiori uentre membrana ducta, nonnusquam tantillum deleta est, membrana ex dorso ducta nusquam. Minutas picturas quattuor in principio singulorum librorum sane pulchras inuenias, quibus doctor librum tenens depictus est. Quae picturae sunt a Nicolao Iacobi de Nascimbene anno D. 351 aut 352 aut 353 depictae, ut mihi Doctor Maximus Medica, Musaei Mediae Aetatis Bononiae positi Praeses probauit et confirmauit. Eodem tempore uidetur codex ipse esse conscriptus. Alia ad hunc librum pertinentia infra ad pp.123–125.

Praeter hos duos codices reliquos quattuor in Bibliotheca Vniuersitatis Bononiensis inueni, neque adhibui

Bibl. Uniu. Bologna 2644 anno 1415 exaratus, membranaceus.

Bibl. Uniu. Bologna 1282 saec. XV chartaceus.

Bibl. Uniu. Bologna 1283 saec. XV chartaceus.

Bibl. Uniu. Bologna 464 saec. XV chartaceus.

Codices Monacenses (Clm):


Frisingensis (F, v. supra), Ratisbonensis nunc Monacensis (f, Kayser, p. XXIX = 68), Clm 14601 (Saec. X^{med}, Hafner, *Untersuchungen* 77), atque Clm 14436 (e, XIⁱⁿ, Spallone, “La trasmissione” 165).

K = Karlsruhe Bad. Landesbibl. Fr. Aug. 109 (sex tantum Folia, Taylor, “«Pre-History»” 201, 212–217).

edd. = Kayser, Marx^{1 et 2}, Caplan, Bornecque, Calboli '69 (= 1969), Adamik, Achard, Nüßlein Müller.

Nunc stemma codicum proponam, quibus frequentius usus sum, at tute, lector, caueo hoc stemma certum fixumque iudices, sunt enim connexiones tantum codicum, quas quis instituere aut immutare possit. Quoniam autem uerae probataeque lectiones per itinera nobis ignota usque ad nos peruenire potuerunt, siue haec itinera ‘Nebenüberlieferung’ (ut Hafner), siue quouis alio nomine haec itinera appellare mauis – improbavit enim Taylor Hafnerianam ‘Nebenüberlieferung’ –, haec itinera aliquo modo significare quam omnino tacere malui. Alias connexiones codicum inuenias apud M. Spallone 1980: 181–187; A. Hafner 1989: 174; G. Achard 1989: LXXIII; R. Taylor 1993a: 202 sq.; 217; 1993b: 130; 1995: 181sq.

Hoc tamen tamquam clavis fixum habeto, ex omnibus, quos considerauimus, codicibus nullum ‘descriptum’, ut appellant, ducendum esse, nullum quasi ‘descriptum’ esse neglegendum, cum uerae lectiones usquequaque reperiri possint, et omnia ideo non per ‘recensionem’, sed per ‘examinationem’ – sic loquuntur critici – decernenda esse uideantur, ut a nobis insequentibus paginis satis demonstratum spero et, ut Marci Tulli uerbis utar, ego quidem certe cupio.



Equidem Mutilis codicibus omnibus usus sum, et ex Integris iis, quos supra memorauī. Expletorum autem, siue iure siue iniuria ita nominantur, iis tantum usus sum, quos supra usque ad Vat. Borgh. 84 enumerauī, eosque semper, reliquos nonnumquam. Quod uero in tradendo hoc opere maximi momenti fuit et nullo modo sanari potest, ea condicione continetur, qua omnes codices, Mutili, Integri, Expleti contaminati sunt, quod, si uitium est, male sonat, sed id tantum significat, omnes codices in scholis, seu Monacorum seu Ecclesiarum seu Vniuersitatum usui fuisse et a magistris cum aliis codicibus collatos et correctos esse. Neque modo Mutilos cum Mutilis, Integros com Integris, Expletos cum Expletis, id est per singulas familias et genera, sed etiam Mutilos cum Integris, quae sunt certa et nullo dubio inquinata genera, cum Expleti tam incerti sint, ut littera tantum E eos indicandos esse Ruth Taylor crediderit (cf. "The Expleti-Recension" 159–162). At Taylor laudi dandum est, quod E familiam codicorum recepit, explicauit et ex codice uno natam sensit, quem Hyparchetypum uocauit, et iure, mea quidem sententia, uocauit, quamquam confines inter Integros et E-codices non semper et ubiuis clari et securi sunt. Equidem malim eos recentiores tantum nominare, quod hac potissimum proprietate a ceteris codicibus differunt, quod recentiores sunt. Esse autem recentiores non deteriores, Georgius Pasquali satis superque ostendit eo libro, qui plurimi ab omnibus merito factus est et inscribitur *Storia della tradizione e critica del testo* (Firenze, Le Monnier 1952²). At tamen quae Ruth Taylor de codicibus E collegit, ea lector, caue credas, me parui facere. Nam haec omnia non modo existimo esse magni momenti, sed Ruth Taylor eam iam inisse uiam, quam equidem puto ineundam esse, nempe ut codices omnes attente considerentur legantur connectantur, si fieri poterit. At Taylor non

totam Rhetoricam inuestigauit (sed librum modo secundum, p. 164 adn. 35)¹³⁴. Quod si meum Apparatum consideraueris, quam societatem Ruth Taylor inter codices **n** et **U** et **r** et **h** institutam esse contendit, eam tuis ipsis oculis uideris re uera exstitisse et pluribus locis quam ipsa Ruth collegit confirmatam esse.

Rhetorica igitur ad *C. Herennium* largissime uidetur in Gallia Media Aetate esse diffusa, exemplaria uero, ex quibus longa codicum series nata sit, e Britannia et ex Hispania uenisse uidentur. Dein hoc opus inter Germanos diffusum et ex Germania in Italiam uenisse. Qui Integrorum ramus, ut appellant, in Monte Casino inuentus est et ex hoc coenobio uenit (de Laurentianis 51.10 (**L**) et 50.10 (**f**) loquor), ex Germania Germanis ab Abbatibus latus esse putatur¹³⁵. Nunnuli autem putarunt e

134 Hic autem apparet, quanti sit laboris totum opus inuestigare. Vetur enim partibus tantum fidem praebere, cum glossae totum textum comitari soleant et nonnihil contaminationis illis ipsis in codicibus apparere Taylor ipsa concedat, quos ipsa diligenter inuestigauit. Praeterea tam paucis ex codicibus non poterit profecto talis inuestigatio satis esse iudicari. Laetor igitur et Taylor laudi do, quod hoc opus ingressa est, et est optime illa quidem ingressa, cum consentaneum sit, omnes codices illos quidem contaminatos esse, sed alios aliis plus minusue, cauendum tamen existimo, ne ad ea, quae sequi possint, praepostere euoletur, ut Taylor fecit, quae scribam hyparchetypi **E** magna iudicauerit prudentia praeditum, Mutilorum autem et Integrorum Hyparchetypi utrumque scribam stolidum et nullius fuisse consili. Quam utramque sententiam tantum abest, ut probem, ut hanc rem sentiam iterum atque iterum inuestigandam esse, multis perlectis codicibus, neque aliter esse tractandam, quam machinatores peritissimi, quod recentiores 'ingegneri' uocant, et informatici, quos appellant, facere possint. Hanc enim non esse rem, quae consueta uetere ratione et uia tractari oporteat et possit (cf. G. Calboli, *Gnomon* 86, 2014, 411–416).

135 Quod, omni prudentia seruata, Magdalene Spallone credidit, "La trasmissione", p. 188, quae hoc argumento usa est: antequam Reicherius ex Niederaltaich et Fredericus Lotharius in Montem Casinum uenerint, uestigium nullum *Rhetoricae ad C. Herennium* ibi inuentum esse, neque Montis Casini in regione ullum exstitisse. Neque ullum alium codicem ex hoc loco uenisse praeter codices duos, nempe Laurentianum 51.10 (**L**) et Laurentianum 50.10 (**f**). Ne Laurentius quidem Amalphitanus *Rhetoricam ad C. Herennium* umquam memorauit, ut Spallone ait, at hoc 'e silentio argumentum' iure uocatur. Dein Spallone, "Testo e dintorni", p. 147, iterum huic rei operam dedit, nouisque argumentis probauit *Rhetoricam ad Herennium* ex Germania uenisse, opinione illa quidem nisa, qua Ruth Taylor, "Codices Integri", pp. 130sq., contendit *Codices Integros* alios certissime, alios probabilius tunc in Italiam ex Germania latos esse, cum Imperium Octones habuerunt uel octoniano tempore, idque esse Reicherio (ex Niederaltaich), qui Abbas Montis Casini (1038–1055) et summa fuit sedulitate, tribuendum. Fuisse enim Germaniam et Beneuenti regionem litterarum studio ualde coniunctas Ruth Taylor probauit, "strong cultural link between Germany and the Beneventan zone during the eleventh century" neque minus insequentibus annis litterarum studiis operae datum esse atque *Rhetoricam ad Herennium* et *Integros Codices*, Abbatibus Desiderio (1058–87) et Oderisio (1087–1108) Montis Casini Monasterium regentibus, Beneuentana in regione usquequaque in usum uenisse. Illic enim, coniunctione inter Italiam et Germaniam artius in litteris colendis confirmata, litteras floruisse post Carolingum tempus et antequam Litterae, ut dicitur, tamquam renascerentur, quam maxime: "The circulation of the *Ad Herennium* in the Beneventan zone during the eleventh century reflects the climax of classical activity at the influential centre of Monte Cassino during the abbacies of Desiderius (1058–87) and Oderisius (1087–1108). The circulation of the I-recension as a whole within the geographical limits of Germany and Italy reinforces the evidence that has elsewhere come to light of the close cultural links between

Langobardorum regione et precipue Mediolano Mutilorum hyparchetypum uenisse, cum in Herbipolitano codice ad ‘explicit’ libri primi, haec uerba, bis posita, legantur *Romaniane uiuat Romaniane uiuat*, quo Romanianus Tagastensis, Augustini rhetoris et municipis sui fautor, nominatur, et ita per uocatiuum, non nominatiuum nominatur, ut Africo sermone nominari mos fuit¹³⁶, quae opinio nuper a Ruth Taylor rursus accepta est, quae senserit ab Augustino Mutilorum traditionem coeptam esse. Quam ego quoque quodammodo secutus sum, cum ab Africa Mutilorum hyparchetypum uenisse arbitratus sim, sed non eadem atque Marx credidit uia, nempe per Hispaniam, non Mediolanum per urbem.

Exinde in Galliam primum, dein in Germaniam et in Italiam codicem hunc, Mutilorum hyparchetypum, uenisse credidi, seu directe seu per filios suos (cf. G. Calboli, “Further Comments” 121–124, et M. Spallone, “La trasmissione”, p. 166 n. 40)¹³⁷. Neque tamen penitus in horum codicum historiam penetrare uolo, ut qui nexus inter codices exstiterint, eum iterum atque iterum inquirendum censeam et nunc tantum legenda moneam, quae Zelser, Stückelberger, Spallone, Taylor hac de re scripserunt, quibus ea addas oportet, quae ego quidem ipse scripsi et Antonius Hafner libro suo collegit (cuius censuram feci *Gnomon* 68, 211–218).

Bene autem Hafner fecit, quod lacunas rursus inuestigandas suscepit (pp. 245–346)¹³⁸, atque Fredericum Marx incusauit, quod hanc quaestionem recensione sua neglexerit et Integros codices idcirco spreuerit, quod Expletos codices (quorum quattuor modo adhibuit) ex conubio natos esse defenderit Mutili cuiusdam codicis cum quo-

Germany and Italy in the post-Carolingian period and before the «renaissance» of the twelfth century” (R. Taylor, “Codices Integri”, p. 131). Cui opinioni nihil est cur non equidem adsentiar et libenter adsentiar, nisi quod id unum attentius inquisitum uelim, nonne etiam e Viuari coenobio liber ullus manu scriptus uenisse potuerit. Namque e Viuari coenobio codices in Montis Casini monasterium ut uenirent, fieri potuisse, post Ulrichi Schindel disputationem “Neues zur Überlieferungsgeschichte” 2008, hodie magis creditur. Fieri enim potuisse, ut, quae Constantinopoli *Rhetorica ad C. Herennium* legeretur, ea a Cassiodoro, cum Constantinopoli Viuarium uenerit, illud in coenobium introducta sit, eaque illinc sit lata in Montem Casinum, ut, quae Ciceroni iam pridem adscripta esset, ditiorem faceret ueterum scriptorum thesaurum. Neque Germanicam originem negauerim, neque Byzantium quendam fontem securius excludere malim, tametsi Germanica origo comprobata est, Byzantina suspicione tantum nititur.

136 Cf. F. Marx, *Prolegomena* 2; quod ad uocatiuum pro nominatiuo, Africam loquendi consuetudinem pertinet, cf. J.N. Adams, 2003: 218sq.; 512–515; T. Adamik 1987; G. Calboli, 2008b: 484sq. P.R. Taylor, “«Pre-History»” 245–250, sensit Augustinum in *Rhetorica ad C. Herennium* tradenda haud parum interfuisse. Cui opinioni nihil habeo quod obiciam, praesertim cum Taylor tanta cura hoc inuestigauerit. Hoc unum addam, me nondum uidere, quantum ratio nostra in hoc textu constituendo immutari possit.

137 Haec prima Magdalenes Spallone opinio ea dissertatione comprobata est, quam A. Hafner confecit (p. 180) et equidem secutus sum, scilicet Mutilorum codicum hyparchetypum Lugdunum latum esse ab Hispanis, qui, ex Hispania, inuadentibus Afris, in Galliam profugerunt et Lugdunum, Leidrad ad episcopum et scriptorium probatum, uenerunt.

138 Equidem doleo codices non semper ab Antonio Hafner perfecte lectos esse. Nam in errores nonnumquam incidit, quare, paucis codicibus adhibitis (undecim tantum), eius conclusiones non semper recipi possunt (e.g., ad II 26,42), cum semper sint memoratu dignae et saepius accipiendae.

dam Integro, qui saeculo duodecimo (XII) in Italia esset inuentus. Ita omnes codices Marx damnauit, quos Hafner (p. 108) siglo **β** significauit, et Integri sunt. Hanc uero quaestionem iam Carolus Halm proposuerat (“Zur Textkritik”, 1860, p. 536sq.), qui lacunas et interpolationes recentioribus in Integris codicibus deprehenderat. Insequenti anno Leonardus Spengel, Halmianam disputationem considerauit atque ad eam prope conclusionem peruenit, quam postea Marx consecutus est: “Hat sich später ein vollständiges Exemplar dieser Rhetorik vorgefunden, aus welchem die Ergänzungen in die andern übergegangen sind, oder hatte ein fähiger Kopf im Mittelalter das Glück jene Lücken so kunstvoll zu ergänzen, daß alle Leser getäuscht wurden und für das Product eines frühern Zeitgenossen des Cicero annahmen, was tausend Jahre später ein Mönch nicht ohne Geist und Kenntniß eingeschmuggelt hat ?” (L. Spengel, “Die Interpolation”, p. 391). Quae non modo probo, sed tam pridem Leonardum Spengel ad ueram historiam huius textus accessisse miror. At codices Integri non unus, sed plures fuerunt, et id, quod Marx opinatus erat, nempe unum Integrum codicem tamquam ceterorum exstitisse fontem, Fredericum Marx coegerat auium a uera ratione longius aberrare et, ut opinaretur, effecerat, tamquam Laudensis codex Laude a Gerardo Landriani anno 1422, repertus esset, isque codex, quo prope totum Ciceronis *Brutus* restitutum esset, ita alterum codicem eadem in regione exstitisse, quo Ciceronis Rhetorica continerentur, et eius codicis filium eum fuisse, qui a Hieronimo et Prisciano contrectatus esset. Quo codice, saeculo XII reperto quasi nouum initium coeptum esse *Rhetoricae ad C. Herennium* et lacunas quasdam integratas et menda multa correctae. Scripsit igitur Marx: “Itaque aliud quoddam exemplar quod continebat scriptorum eorum quae in cod. Laudensi erant partem priorem eodem ordine quo Laudensis inuentum esse saec. fere XII statuemus. Nam codd. inde a saec. XII recentiores omnes fere non sicuti illi uetustiores solam rhetoricam ad Her. sed duo illa opera rhetorica eodem ordine quo Laudensis continent digesta: quod non uidetur casu factum esse. Bybliopola igitur quidam saec. IV uel V editionem quinque scriptorum rhetoricorum Ciceronis confecerat cuius editionis totius apographon ille fuit Laudensis, dimidiatae codex ille ignotus unde saec. XII lacunae librorum ad Her. sunt suppletae initium additum uitia multa correctae” (Marx, *Prolegomena* 33).¹³⁹ Emp- tum autem hunc codicem a Hieronimo non Romae, sed postquam Roma abierat Marx

139 Haec opinio primo mihi nimis incerta uisa est, dein partim a Ruth Taylor (“«Pre-History»” 186sq. et “*The Expleti-Recension*” 160–162) accepta est, quae familiam quandam E recepit codicum recentiorum, quos Expletos uocare Taylor ipsam puduit, sed suum ad hyparchetipum reducere uerita non est. Equidem scriptoria modo inquirenda crediderim et Vniuersitatum ad usum codices E conscriptos esse dixerim, qui eo tempore, cum nonnullae Vniuersitates iam exstarent, exarati sint. Sed cum tota res obscurior maneret, hanc opinionem totam reicere ueritus sum. Cum uero plus quingenti codices inexplorati maneant, opiniones multas colere possumus, sed eas plus quam somnia ualere haud facile dixerim. Attamen id certissimum est Monasteriorum et Ecclesiarum scriptoria inuestiganda esse et ea scriptoria, in quibus postea codices Vniuersitatum in usum confecti sint, siue uera scriptoria, siue librari modo singuli fuerint. Quae inuestigari illa quidem sunt coepta, sed antequam satis sint explorata, omnia incerta maneant necesse est.

(*Prolegomena* 8) credit. Quae omnes opiniones modo sunt, nihil amplius, quarum minime credibilis ea esse uidetur, qua codex quidam Integer inuentus esse, Expletorum pater exstitisse, et seculo XII deperditus esse putetur. Centum autem octo lacunis examinatis, quae, hoc codice adiuuante, expletae sint, Hafner conclusit (p. 351), noua in editione commentum esse instruendum, quo eadem iniretur uia, qua Kayser Notis suis isset, sed multo longius quam Kayser progredere. Quod quantum potui hac ipsa editione seu editionis praeparatione efficere conatus sum.

Sed non equidem id praeterire uolo, quantum contaminationis scholarum usui sit tribuendum, quae in *Rhetorica ad C. Herennium* tradenda diffusa sit. In Monasteriis et Ecclesiis, et in Vniuersitatibus usi sunt profecto doctores singulis saltem huius operis copiis, in Vniuersitatibus deinde, si non in Monasteriis et Ecclesiis, plures copias consentaneum est esse tractatas, quas equites et sacerdotes et nobiles uiri, tabelliones et patroni et aduocati, non pauperi discipuli, emere possent et profecto emerunt, quo melius scholas intellegent et, quae opus esset, memoriae mandarent. Commentaria igitur non pauca et plures glossae necesse fuit, ut hos in codices et doctorum et scholarium introducerentur, quae in marginibus re uera inueniuntur, et ita introducerentur, ut saepius glossae uerarum lectionum locum occuparent. Neque neglegendum est, quam diligenter/neglegenter doctores et scholares se gerere consueuerint, quamque facile traditum textum meliorem facere non dubitarint. Neglegentiae exemplum nunc addam, quod duobus in codicibus (**c** et **u**) deprehensum est et ad duos spectat codices, alterum saec. XI–XII exaratum, saec. XIII alterum (*Rhet. Her. IV 34,46*):

‘Nam cum canes fungentur officiis luporum, quoinam praesidio pecuaria credemus?’

Hoc exemplum nonnullis in codicibus (*fungentur* **HPIIFVLZg** Kayser Hafner Nüßlein *funguntur* **A²fc**(in marg. **c**)**abldπOouB^sB^unhUr** Marx Caplan Calboli ’69 Adamik Achard Müller *fungantur* **BC**) ad eam *translationem*, quae per similitudinem sumitur, illustrandam compositum et introductum est (IV 34,45). Aliis autem in codicibus, plerisque recentioribus (**fabled^cuOopB^sB^unhU**) et ab editoribus, ad insequentem figuram ‘permutationis’, quae post ‘translationem’ posita est, explicandam idem exemplum positum est. Ego quidem ipse cum ceteris editoribus faciendum existimaui et exemplum ad *permutationem* adscripsi. At Chigiano in codice (**c**), uno ex Integris, in textu ad *translationem*, in margine ad *permutationem* adponitur. Neque potuit fortasse huius codicis librarius priorem transcriptionem delere aut excusationem petere, quod duobus in locis idem posuisset. Item scriba codicis Urbinitis Latini 1144 (**u**) exemplum ad *translationem* posuit, sed in margine sane currente calamo addidit ad ‘permutationem’ admouendum exemplum atque locum, quo admoueretur, signo suo quodam, bis unde et quo esset mouendum posito, significauit. Quod mihi uidetur nimiae celeritatis exemplum apertissimum. Vtinam cetera tam aperte paterent!¹⁴⁰

140 Hic partim ea refero (sed non isdem uerbis), quae eo loco posui, qui ad criticam, quam appellant, sectionem pertinet: ‘Hic locus in **c** et praecipue in **u** maxima et improvida celeritate correctus esse uidetur, cum in margine codicis **u**, litteris tam cursim exaratis, ut uix legi possint,

Codices Bononienses, **B^s** et **B^u**, primus adhibui. Quos ambos negauerim Mutilorum familiae adscribendos esse, utrum Integrorum an Expletorum incertum est. Saepe **B^s** cum **f** (Mediceo Laurentiano 50. 10) facit et cum Parisino Latino 7744 (**n**) et Florentino Bibliothecae Mediceo-Laurentianae, plut. 50. 28 (**h**) et Bruxellensi 15559 (**r**), ut exstat in apparatu, quem ad textum constituendum confeci. Ruth Taylor laudandum est, quod codices **nhUrB^sB^u** connexit et eadem ex familia uenisse probauit. Fieri igitur potest ut **nhUrB^sB^u** stricta connexione iuncti sint, laxiore eosdem codices et **a** et **g** et **u**, quibuscum nonnusquam superiores faciunt. Aemilia in regione **aB^sB^u** descripti esse uidentur, non longius **h**, quem Florentiae exaratum esse nouimus. Aetatis Mediae cognitoribus quam me doctioribus reseruandum putauit, ut hanc uiam usque ad finem percurrerent, mihi satis fuit eam ingressum me tantum esse. Nolui enim adfinitates instruere, quibus alii deerrare cogentur. Satis superque mihi fuit, locos multos uel plurimos eligere, ubi omnium codicum, quos adhibui, lectiones tradidi. Ita materiam doctioribus praebui, qua familias et adfinitates colligerent, dum ne nimis imaginosi essent.

Haud pauca de codicibus Bononiensibus dicenda sunt. Quodsi fortunam considerarimus, qua *Rhetorica ad C. Herennium* in Vniuersitate Bononiensi a saeculo XII usa est, plurimos codices reperiendos fuisse dixerimus. At non plures septem in publicis huius urbis bibliothecis reperiuntur, sex in Vniuersitatis Bibliotheca et unus in Archigymnasi, quo ex Sancti Seruatoris Monasterio confluerunt. Napoleone enim imperante, codices Bononienses Lutetiam Parisiorum in Bibliothecam Francogallicae Nationis lati sunt, Bononiamque, Italico Regno eodem a Napoleone constituto, reducti sunt, sed non omnes, cum paulo minus centum amissi sint. Fieri igitur potest, ut unus pluresue libri, quibus *Rhetorica ad Herennium* contineretur, deperditi sint.

Recentiores chartaceos saeculi XV neglexi, duos semper adhibui, nempe Bononiensem Bibl. Vniu. Bonon. 2516 (**B^s**) et Bononiensem Bibl. Vniv. Bonon. 2461 (**B^u**). Vtrumque supra descripsi et infra nonnulla de utroque addam.

Codex, qui est Bon. Vniv. 2461, **B^u**, descriptus est anno 2004 a Roberta Dieci, quae Dissertationem huic codici dedicauit. Forma oblongus, ex 88 foliis constat, mm 280x210. Notas et glossas dextro et sinistro margine, supra et subter fert, litteris Carolinis et cursiuis conscriptas, textus littera Gothica conscriptus est. Binis columnis pro pagina lineis uicenis quaternis. Quattuor minutas picturas sane pulchras initio singulorum librorum (1r, 9r, 26u, 40u, cf. Tabulas 14 et 15), coloribus splendidis et auro ornatas praebet, quibus doctor capite operto depictus est, librum apertum tenet (1r, ubi liber primus incipit), clausum (9r, libro II incipiente), sine libro (26u III libro incipiente), sed digito nescioquid significante, clausum (40u incipiente libro IV). Lit-

scriptum sit totum locum postponendum esse et per signum Δ, ubi sit ponendus, significetur, et *pecua* in *pecueria* pro *pecuaria* correctum sit. Similis celeritas et in **c** adhibita esse uidetur, ubi prior scriptura deleta non sit (bis enim eundem locum transcripsit, sub 'translatione' et sub 'permutatione') et *pecura* ex superiore *pecuania* sine correctione positum sit. Etenim priore uersione, sub translatione *pecua-nia* correctum ita est: *pecu^ra-nia*.

teris rubricatis uarieque ornatis capita et παραγραφαί incipiunt. Hic autem codex non tantum *Rhetoricam ad C. Herennium* continet, sed etiam Ioannis de Bonandrea *Breuem Introductionem ad Dictamen* (foll. 1–75 *Rhetorica ad Herennium* comprehenditur: fol. 1r *Marci Tullii Ciceronis Rhetoricorum liber primus ad C. Herennium incipit*; foll. 76–88 *Breuis Introductio ad Dictamen*). In Monasterio Sancti Seruatoris seruabatur, cum anno 1796 in Galliam latus est et signo Bibliothecae Francogallicae signatus est, id est ‘Bibliothèque Nationale’. Italico Regno constituto, Napoleone imperante dein Napoleone deuicto, iterum Bononiam reuisit et Sancti Seruatoris in Monasterium primum, denique in Bibliothecam Vniuersitatis illatus est, ubi hodie seruatur. Non alio signo signauit, quam eo, quo iam Roberta Dieci usa erat, nempe **B^u**. Hac autem de causa hic codex attente considerandus et inquirendus est, quod in scholis uidetur adhibitus esse, in quibus *Rhetorica ad C. Herennium* seu per se ipsam seu tamquam Dictaminis¹⁴¹ initium et exordium explicaretur. Huic tamen codici sedulo operam dedi et post eam dissertationem, quam Roberta Dieci 2004 confecerat, singulare quiddam, doctoribus Ioanne Luca Del Monaco, discipulo meo, et Maximo Medica, in Mediae Aetatis Musaiō Rectore, adiuuantibus, inueni. Nam, ut supra dixi, *Rhetorica ad C. Herennium* in codice Bononiensi 2461 (**B^u**) in quattuor libros partita est, quorum singuli singulis imaginibus aperiuntur et imaginibus doctores per minutas picturas, libros singulos (*Rhetoricae* uidelicet *ad Herennium*) in manibus ter habentes, semel digito nescioquid significante, depicti sunt. Qui libri tribus picturis ostenduntur, apertus prima, iam clausus secunda et quarta imagine, quod optime ad *explicit* libri prioris adcommodatur. Clausi libri uestis exterior uiridi colore depicta est, albis punctis additis quinque, quincunce ordine positis. Sunt autem doctores duo satis iuuenes, primus et tertius, duo seniores, barba cana secundus, flaua quartus, tertius digito ignotum quid indicante. Haec minutae picturae, quae sint optime depictae summaque arte expressae, Nicolao Iacobi de Nascimbene facile adscribi possunt, qui tantam ad famam ascenderat, ut Nicolaus Bononiensis tantum appellaretur. Hic autem pictor innotescere coepit anno 1340 et usque ad 1403 uixisse uidetur, cf. Bollati-Boskouits 2004: 827–831. Doctores igitur Ioannes Luca Del Monaco et Maximus Medica Pr. Kal. Dec. anno Dom. 2009, mihi confirmarunt quattuor has minutas picturas, quas in Codice Bononiensi **B^u** inuenias, a Nicolao Iacobi de Nascimbene pictore depictas esse easque non tardius anno 1353 (scilicet inter 1351 et 1353), adulescente Nicolao, confectas esse uideri. Nec tardior scriptura esse uidetur, quae Gothica appelletur et cum picturis optime concinat. Quibus omnibus consideratis, haud paucis certior sum factus de rebus, nempe Codicem Bononiensem, qui signatus est **B^u**, Bononiae exaratum esse et quattuor splendidis minutis picturis inter 1351 et 1353 ab adulescente Nicolao Bononiense pictore ornatum esse, eumque, cum maxime Bononiensis Vniuersitas, Dictaminis studio florente, frequentata sit, glossis et adnotationibus instructum esse, ut qui ad scholas habendas adhiberetur.

141 Multa sunt recentiora scripta de Dictamine, sed cf. ea saltem, quae uolumine collecta sunt, quod L. Calboli Montefusco edidit 2003b.

Nunc ad recentiorum editiones ueniamus. Ex recentioribus autem editionibus sane bonas instruxerunt Kayser (1854) et Marx (1894 et 1923), bonas seu optimas Achard (1989) et Müller (1994). Nüßlein (1994) nimis seruuliter editioni, quam Achard struxit, adstipulatus est¹⁴². Est autem ei, ut sentio, laudi dandum, quod ea quoque considerauit, quae Hafner (*Untersuchungen* 1989) proposuerat. At Hafner nimis, malum, nonnumquam imaginosis fuit. Neque semper libros manu scriptos recte legit, ut exempli gratia ad II 12,17, ubi Marx consueta sua usus ratione lacunam notauit <*adficit. Ego non adfeci, sed prohibui detrimento*>, neque Hafner, qui codices non inspexerit et Marxiano apparatu (quam inopi!) contentus fuerit, animaduertit priorem ex duabus *adficiendi* notionem etiam **P²B²C**, seu integram sed paulo immutatam (*faciendi* pro *adficiendi* notione adhibita), traditam esse¹⁴³. Alia exempla addere poteram, sed praetermittere malui. Satis sit me notasse, quae Hafner legit, non semper credibilia esse, neque semper prudenter eum, uaris in lectionibus explicandis eligendis, se gessisse, cum nimis libere crediderit librariorum egisse, dum explicationes inuenire usquequaque conatur, neque semper ab hariolando satis abstinuerit. Sane bonam editionem Achard constituit, quam optimam quoque recte dixeris, id tantum doleo apparatus non ita perspicuum esse, ut primo aspectu, linearum numeris omissis, distingui possit, nec omnes maioris momenti codices, quos Magdalene Spallone (1980) memorauerit, adhibitos. Quod uero Ruth Taylor scripsit (“The Expleti-Recension, p.160, iterum Ead., “Reading between the Lines”, p. 79), nempe, quas editiones Caplan, Calboli, Achard pararunt, “rely largely on the conclusions reached by Marx” (Taylor, “Reading between the Lines”, p. 79), seu inique seu non satis attente dictum iudicauerim. Nam de Caplan postea uiderimus, sed quem textum Achard instruxit, is cum Marxiano comparari non potest, qui nonnullis integris codicibus nitatur, quos Marx prorsus neglexit. Mea uero editio commentario praestat, quem hac noua in editione amplius suppleui et reconcinnaui, sed, aliquot tantum locis immutatis, eundem prope textum praebet, quem Marx constituit. Quod tamen ego quidem ipse (Cornifici *Rhet. Her.*, p. IX) memoraueram, scilicet eundem me prope textum constituisse atque Marx, 1923, protulisset, Trillitzsch (1964) diligenter considerato. Mihi enim cordi fuisse rhetoricam doctrinam et res gestas considerare, quae saepissime essent enarratae, rebus ad grammaticam et linguam spectantibus tantum consideratis, quae partim meo libro

142 Quod quinque paginulis probatur, quibus Nüßlein, pp. 346–350, admisit ab Achard se dissen-
sisse, cum Antonio Hafner adsentiretur.

143 Quo res clarius pateat, apparatus, quem suo loco in editione inuenias, hic iterum ponere
statui:

II 12,17 ‘*Maiestatem is minuit, qui amplitudinem ciuitatis detrimento afficit. Ego non affeci, sed
prohibui detrimento*

// *afficit B²V²ZcfabdloOgu¹pB^snhUr* Kayser Marx Caplan Calboli ’69 Adamik Achard Müller
(*adficit* ceteri edd., *afficit* Achard, om. Nüßlein, qui tamen Germanice uertit: apparet igitur
aliquid inopinato ei cecidisse) *facit V¹P²*(in marg. **P²**)**CA¹Fp** om. **HP¹B¹P** Nüßlein *ego non
affeci sed prohibui detrimento V²B²* (in marg. *Sed ego eqs. B²A²Zcfa²(non affici a¹)boOu²*(in
marg. **u²**)**pB^sB^u**(*prohybui B^u*)**nhUr** Kayser Marx Caplan Calboli ’69 Adamik Achard Müller
(*adfeci* ceteri edd., *affeci* Achard om. Nüßlein) om. **HPPB¹FA¹CV¹pg** Nüßlein

Studi Grammaticali 1962 tractata essent, partim inedita manerent et manent. Quod tamen neque Ioannem Cousin, Quintiliani editorem «Les Belles Lettres», neque Achard, neque Müller effugit, qui amice mea laudare non dubitarint.

Alia sunt de Henrici Caplan editione memoranda, quae, quod ad editoris mentis acumen et rhetoricam doctrinam pertinet, dignissima est memoratu et hodie quoque ualde usui est, sed nimis codicibus expletis (**E**), eisque quattuor modo recentioribus (**bdlu**) ille confisus est. Fieri potuit, ut hoc modo Caplan rationi et uiae, qua Marx usus esset, respondere uellet, qui nimis ipse Mutilis confisus erat, sed periculi plenam ingressus est uiam. Nam, qui textus rhetorica et grammatica traditione ad usum scholarum conformatus et facilius factus erat, is per Expletos codices recentiores, uidelicet Vniuersitatum traditione et correctione addita, haud paulo facilius factus est, aut saltem semper periculum fuit, ut facilius, quam deberet, fieret. Quod periculum neque facile uitare quisquam potuit, neque Caplan uitauit, qui nimis sit **E** codicibus obnoxius, cum contra sit, mea sententia, media quaedam inter Mutilos et Integros-Expletos tenenda uia, ne nimis textus ad uetera Latina per difficiliora ueniat, neque per faciliora in scholarum usum magis magisque procul ab auctore mergatur¹⁴⁴. Quodsi Caplan secutus sis, certus esse non poteris, stabili securoque te fundamento niti. Praesto tibi erunt nonnumquam bonae illae quidem lectiones, ad quas tamen certus numquam eris, per lubricam coniecturae semitam non esse peruentum.

Neque tamen nego ab Hafner et praecipue a Taylor probatum esse, magni esse **E** codices aestimandos¹⁴⁵. Quam uiam et Achard et Müller secuti sunt, et ego qui-

144 Quodsi consideraueris Kayser nonaginta uno codicibus usum esse, Marx nouem tantum, hanc autem traditionem, quam quae maxime, contaminatam esse, nullum codicem descriptum uideri et multis codicibus opus esse, cum plus quingentis codicibus hoc opus traditum sit, eam editionem apparet, quam Caplan confecit, cum unum tantum codicem **p** (Parisinum 7696) Caplan, eumque ex **E** recentioribus addiderit, quod ad *recensionem* spectat, non multo longius quam Marxianam esse prouectam, etiamsi quas Caplan sumpsit lectiones, eae saepius sane bonae, quod ad *examinationem* spectat, esse uideantur. Quodsi addideris codices recentiores *Rhetoricae ad Herennium*, quae **E** signo notantur, nempe qui **bdlu** a Marx, **bdup** a Caplan adhibiti sint, ad quandam κοινήν seu uulgatam peruenisse, in qua textus, qui minus liqueret, per coniecturam corrigeretur, a Caplan autem multo magis quam a Marx **E** codices esse usurpatos, concludendum esse uidetur, bonam illam quidem editionem a Caplan esse confectam, quae bene legi possit et Marxianis monstris careat, sed sit periculi plena. Quod ad *recensionem* pertinet, regressus esse, non progressus Caplan uidetur. Viros doctos Anglos et Americanos hac editione potissimum uti consuesse, id est Anglicae uersioni adscribendum, cum hodie ueteres classicos auctores ‘in translation’, id est Anglice conuersos legere in usum uenerit. Nec multa nosse et intellegere Philippus Cancelli uidetur, quem (“Il maestro di Gaio Erennio”, p. 267) eam editionem, quam Kayser curauit, ita iudicare puduit non sit: “ambiziosa ma senza gran criterio”. Sapientius et prudentius se gessit Magdalene Spallone (1980: 159), cum in Kayser uitia, quae re uera occurrunt, reprehendit.

145 Difficile est, Marxianam opinionem accipere, recentiores codices ex Mutilo quodam codice expletos esse, et Ruyh Taylor ipsa, quae huic quaestioni optimam dissertationem dedicauit (1995) Expletorum nomen non recepit et signum tantum **E** seruauit (“Reading between the Lines”, p. 78). **E** codices omnes recentiores sunt, et consentaneum est scholares et fortasse magistros quoque alium ab alio seu directe seu per librariorum suas copias efficere consuesse. Conicere licet post Mutilos et Integros nonnullos ut **AFLZcf**, **E** codices conscriptos esse. Re-

dem ipse sperauerim secutum esse, quamquam non seruiliter, id est eo modo, ut ad singulos casus iudicandi et eligendi ratio adcommodaretur. Sed negari nullo pacto potest, eum esse his codicibus traditum textum, qui tamquam per quamdam κοινήν in Vniuersitatibus tarda Aetate Media et Litteris Renatis uiguerit, et ideo necesse fuerit, ut facilius esset, idemque iter tenuerit, quod iam Seruatus Lupus aperuerat et magistri et scholares longius profecto persecuti erant.

Nec satis est. Nam sese non abstinuit Ruth Taylor a libraribus trium hyparchetyporum **M**, **I**, **E** iudicandis (2011, p. 90), neque equidem ab hoc iudicio improbando me abstinui, scilicet quo librarius hyparchetypus **E** magni a Ruth Taylor sit factus, reliquorum duorum minimi. Quod ut refutarem, exemplis sum usus, quae ex hac ipsa editione sumpsi (*Gnomon* 86, 2014, 411–416). His igitur allatis, hoc memorauit (1) plerosque codices recentiores nobis ignotos esse, cum non magis uiginti sint noti, centenatim – cateruatim dicere uolui audaciore translato, sed quidni mi liceat nouum in re noua uocabulum fingere? –, reliqui ignoti sint. Qui enim maxime post Kayser his ego quidem ipse sim usus, plus tamen quingentos omisi. Deinde (2) monere non dubitauit, quae lectiones ex hyparchetypis **M** et **I** uenisse uideantur, eas esse iis certissime anteponeudas, quas ex hyparchetypo **E** descendisse et saepius coniectura natas esse appareret. Quod autem Taylor credidit, scilicet **E** librarium acuta mente extitisse, **M** et **I** contra librarios stolidi et nullius preti mente fuisse, id periculi potius plenum esse uidetur, cum **E** librarius acutas potuerit lectiones creare, quae bene Latine sonarent neque facile a ueris lectionibus distinguerentur.

Quibus omnibus consideratis, hoc mihi puto praetermittendum non esse, nempe posituum apparatus a me esse confectum. Cum enim maxima reuerentia eos editores prosequendos putem, qui annos et oculos Graecis et Latinis auctoribus edendis consumere non dubitarint, mihi tamen persuasum est, hac nostra aetate, qua computers, ut appellant, magis magisque in usum uenerint, aliam profecto esse ineundam uiam. Nam omnes editiones, quae apparatu negatiuo instructae sunt, falsae quodammodo sunt, nisi perpauca tantum codicibus textus traditus sit, idque tum maxime accidere uidemus, si multis aut plurimis codicibus quidam textus ad nos peruenerit. Quid de *Rhetorica ad C. Herennium* dicas, quae tam multis codicibus tradita est, ut eos omnes adhuc nosse nequeamus? Etenim nostrae Bibliothecae editionibus repletae sunt, quibus aut rarius aut numquam doceamur, qua uia antiqui illi textus ad nos peruenerint, cum hoc maxime sit inquirendum, quae Media Aetate scriptoria exstiterint, qua causa codices delecti sint, qua causa sint exarati, qua causa sint conseruati. Negatiuo autem apparatu nimis multa manent obscura, neque saepius patet,

centiores igitur optimo iure dixeris. At nonnumquam bonae lectiones in **E** codicibus inueniuntur, quae recipendae sint, seu per Hafnerianam forsitan ‘Nebenüberlieferung’, seu per **E**-hyparchetypum codicem, quem Taylor exstitisse credidit, ad nos peruenerint [sed caue credas hoc ‘forsitan’ paucillum esse, quod contra maximum fuerit, cum bonae illae lectiones fieri possit, ut a doctis uiris et ‘philologis’ Monasteriorum et Ecclesiarum et Vniuersitatum excogitatae et concinnatae sint]. Quod, arte Rhetorica primum et Dictamine postea florente, saepius aut saepissime accidere potuisse uidetur.

quas et cur editor lectiones neglexerit, cur tacuerit, cur celauerit. Nam fieri potuit, ut iure optimo taceret uel ignoraret aut praecedentium editorum lectioni nimis ipse confideret.

Quamuis editor probus sit summaque probitate se gerat, apparatu negatiuo per quandam tacitam fallaciam in fraudem delabimur, qui nesciamus, utrum editor nos certiores facere noluerit, quod nos nosse nihil interfuerit et nobis pepercerit an quod ipse non uiderit, an quod nimis multa referenda essent, an quod, uno uerbo dicam, nihil eius nos nosse interfuerit. Apparatu negatiuo, quamquam probissimo consilio, aut in fraudem incidimus aut suspicione nos incidisse certissime numquam liberamur. Id tamen non ignoro, non omnes textus ea condicione ad nos peruénisse, qua *Rhetorica ad C. Herennium* peruénit, id est copiosissimā traditā codicum manu, eorum autem codicum, qui per scholas usquequaque correcti et meliores facti sint. Sed negatiuo apparatu non omnia, ut uidimus, aperiuntur, quare uera editor omiserit, non dicit, sed conici cogit, cum nonnumquam editor codices non totos uiderit, sed aliorum apparatibus confidere maluerit. Tempus iam est nobis licere informatica ratione, quam uocant, ad omnes omnium codicum lectiones, προγράμμασιν ad hoc confectis, accedere. Quodsi rem paucis exponere uelis, diplomaticae, ut ita dicam, editiones, oportet omnium codicum per computer nobis praesto sint.

At quem apparatus equidem hac editione confeci, is ex eo uitio grauiter laborat, quod nonnullorum tantum codicum lectiones comprehendit, quae ad multos sane *Rhetoricae ad Herennium* locos pertineant, sed non ad omnes (at quis omnes unquam collegit?). Sed omnes lectiones, quas hos ad locos inueni, collegi, nullam omisi. Laborare igitur meum quoque apparatus non infitior, et grauiter laborare concedo, sed haec omnia apertissime patere glorior nec quicquam usquam celatum esse confirmo. Longum iter in *Rhetoricam* nostram *ad C. Herennium* edendam, explicandam, omni ex parte enodandam inire tantum potui et fortasse uolui, qui totam prope aetatem in hoc opere conficiendo consumpserim, quod tamen numquam ignorassem longissimum esse et a pluribus doctis, non ab uno, perfici posse.

Quodsi iniuscuiusque libri manu scripti historiam cognoueris, id profecto cognoueris, qua uia et itinere textus manu scripto illo traditus ad nos peruenerit. Nam uno consilio nos ducamur oportet uniusque pareamus studio ac rationi: satis non esse, eum textum a nobis parari, qui quam proxime ad auctoris textum accedat quamque minime ab eodem absit, sed eum textum esse parandum, per quem satis appareat, quod iter textus ille tenuerit, quas per manus usque ad nos traditus sit, idque nos doceat, quantum uiri docti ex eodem cognouerint manu scripto, quem seruauerint et nobis transmiserint. Quod nos cuncti tandem animaduertamus oportet. Hoc unum liceat mihi saltem tamquam per somnium optare, haec esse si non nos, at filios nostros aut nepotes futura uisuros¹⁴⁶.

146 At non iniuria quispiam mihi obiecerit, hanc uiam Ruth Taylor iam ingressam esse, et non modo ingressam, sed longius iam esse prouectam. Quod non equidem negauerim, quin etiam libenter adsensus sim, Taylor id esse praecipue laudi dandum, quam equidem futuram uiam somniauerim, id est multos codices colligendi inuestigandi connectendi, ea iam longius Taylor

Apparatum igitur non modo positivum, ut appellant, instruxi et positivum esse uolui, sed ita positivum, ut, cum eadem lectio pluribus in codicibus seruata esset et pauca uerba immutata in uno uel pluribus ex iis codicibus exstarent, uerba immutata attulerim et signum codicis uel codicum, in quibus immutatio occurrisset, iterum addere non dubitauerim. Odi enim negatiui apparatus morem et eorum consuetudinem, qui pudicitiae excusatione impudicam ignorantiam ceterorum codicum celare consueuerint. Cum autem talem apparatus instruerem, non me fugit, nouam hanc esse textus edendi rationem, qua scilicet errorum naturam omnes aperte uiderent. Non indigni igitur errorum coniunctiuorum innumera serie, non affinitatum et familiarum inuentione, qua codicum indagatores laetari solent, quamquam iis erroribus saepius nituntur, qui errores re uera non sint. Haec omnia aliis reseruauim, dum inquisitionis supposito materiam, qua codicum adfinitates palam apparerent. Aperte dicam quod sentio, nouis editionibus nunc nos non egere, quae, nonnullis auctoribus exceptis, plurimae iam sint, sed iis editionibus, quibus lectiones codicum aperte pateant. At *Rhetorica ad Herennium* tam contaminata est, tot huiusce operis exstant libri manu scripti, ut multis non annis, sed magna annorum serie opus sit, non uno indagatore, sed compluribus, ut ad nouam editionem tandem perueniatur. Opus igitur, meis tantum uiribus insuperabile, iunioribus aetate, doctrinis florentibus reseruauim, ut Ammianus ait (31,16, 9), mihi satis habui opus inceptum esse. Quin etiam uere dicam, non nouam editionem a me esse paratam, sed editionis nouae praeparatam uiam.

Quod ad orthographiam pertinet, non equidem ignoro aliter Ciceronem et eius aequales nonnulla scripsisse atque codicibus tradita sint, et, exempli gratia, *ueitari* pro *uitari* positum esse (II 2,2), quod ego tamen ne illic quidem recepi, ubi Marx ex *uetare* (**HP¹B**) et *uitare* (reliqui) *ueitare* restituerat (cf. de hac scriptura quae Fridericus Biddau 2016 docte sapienterque collegit). Restituere enim non posse putauim nisi admodum contra traditam scripturam ire uoluissim, cum praeterea inscriptionibus non possemus, omni dubitatione abiecta, confidere. Etenim hanc materiam diligentius tractandam esse credo, mora nunc esse sapientius et uerecundia opus.

Nunc pauca de signis, quae adhibui ad singulos codices significandos. Vt Bernensem librum manu scriptum 469 (**b**) a subarchetypo Integrorum familiae, sicut ab Hafter indicatum est (**b**), et a Bambergensi distinguerem, Bernensem dico librum (469-II) Graeca littera signauim **β**. Neque aliter me gessi, ut Albinensem librum (**α**) ab Ambrosiano M58 sup. (**a**) distinguerem. Quod propterea facile facere potui, quia ambo libri, Bernensis 469-II et Albinensis, raro adhibiti sunt.

Adfinitates codicum ex apparatu, quem instruxi, satis apparent. Itaque sine ulla dubitatione negauerim libros **B^s** et **B^m** Mutilorum familiae adscribendos esse, cum utrumque appareat nullam primo libro exhibere lacunam et cum Integris potius et cum Expletis facere, si huius generis familia usquam exstitit.

Nam quaeret fortasse quispiam – non ignoro –, cur eos codices, quos saepe aut

esse progressam. Quid addam? Aetas me uetuit eius uestigia sequi neque tamen ita uidere et cernere me prohibuit, ut erroribus 'coniunctiuis' tantum rem explanari posse putarem.

saepissime una simul facere animaduertissem, non uno signo, non una littera collegerim, quod exempli gratia tum potissimum facere potui, cum codices **B^sB^{nh}Ur**, easdem lectiones praebere uidissem. Sed respondere non uebor: nunc nondum esse coniungendi tempus, cum tot tantique codices ignoti sint, ut id obliuiscaris, eosdem codices non semper una facere, sed nonnusquam cum aliis libris manu scriptis fecisse. Cur? Hanc sane quaestionem coniungendi cupiditate oblitteratam nolim.

Cum Florentino (Med. Laur. 50. 10=f) liber manu scriptus Bononiensis **B^s** coniunctus esse uidetur, siue ex Florentino ipso, siue ex eius patre filioe descriptus sit, quod neque satis patet, neque certius conici potest. Namque equidem nolui adfinitates inuestigare, quae, contaminatione, quam uocant, imperante, incertissimae semper sunt; quin rationes ipsas, quibus quis nisus adfinitates eas ueras esse defendat, incertas uel incertissimas semper putauit, et singulis locis perpendendas esse. Integrorum generi adscribi posse eos libros Taylor (“*Codices Integri*” 132) contendit, qui *Rhetoricam* tantum ad *Herennium*, nullo alio opere adiuncto, seruassent¹⁴⁷. Quam rationem in codice **B^s** Bononiensi tute lector inuenias profecto posse adhiberi. At non ego quidem tam fui facile fungus, ut hac una fultus ratione Integrorum familiae hunc codicem adscriberem. Aliae sunt certioresque similitudines. Quas in apparatu meo quiuis facile inueniat. Etenim materiam tantum colligere malui, qua quisque ad inuentiones suas uteretur, dum ne tam imaginosus esset, ut falsa probaret, et uera seu celaret, seu minoris, quam mererentur, faceret.

147 Reuera Taylor hanc condicionem I-hyparchetypo (id est abauo uel auo Codicum Integrorum) tribuit, quod mihi uerisimillimum uidetur. Quod autem ad codicem Florentinum (**f**) pertinet, ea laudanda puto, quae Taylor ipsa scripsit (“*Codices Integri*” 115 adn. 11): “After collating portions of both *Laur.* 51. 10 and *Laur.* 50. 10 I had concluded that neither are reliable witnesses to the I-recension. *Laur.* 50. 10 is severely contaminated from the Expleti-recension and *Laur.* 51. 10 has suffered moderate contamination from the same source”. Quem fontem, id est **E** codices, non equidem fontem, sed mare potius uocauerim.

ANALISI DEL CONTENUTO

Libro I

Il materiale retorico presentato nella *Rhet. Her.* è stato descritto in modo dettagliato da Harry Caplan, 1954, pp. XLV–LVIII, da Henri Bornecque, 1932, pp. VIII–XVI, riguardo all’*ars rhetorica* in genere, e nel mio G. Calboli: 1969 (1993²), pp. 54–74, in modo altrettanto dettagliato come dal Caplan. Delle edizioni moderne presentano la materia, in modo succinto Tamás Adamik, 1987, pp. 65–66 (in Ungereze), Theodor Nüßlein (1994) in un ‘Verzeichnis’ dei termini retorici e giuridici (pp. 407–416) e poi delle figure (pp. 417–418), e, infine, Friedhelm L. Müller, 1994, pp. 21–27, con attenzione all’*ars rhetorica* in generale. La *Rhet. Her.* è stata, inoltre, sottoposta a un esame analitico da parte di Manfred Fuhrmann, *Das systematische Lehrbuch* 41–58, e a schematizzazioni parziali da Benedetto Riposati, ‘Problemi’ 708sgg.; Dieter Matthes, ‘Hermagoras von Temnos’ 84–206, e George Kennedy, *The Art of Rhetoric in the Roman World* 109–148.

Sulla destra, di fianco alle singole sezioni della dottrina, saranno posti i riferimenti alle note relative del *Commento*.

I generi di causa che un oratore deve saper trattare sono tre: I 2,2 *Tria genera sunt causarum, quae recipere debet orator: demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale.*

I 2,2 *genera causarum, γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν*; cf. Arist. *rhet.* I 1358 b 6: (cf. n. 13).

<i>demonstratiuum</i>	ἐπιδεικτικόν
<i>deliberatiuum</i>	συμβουλευτικόν
<i>iudiciale</i>	δικανικόν

Un oratore deve, quindi, possedere cinque capacità (*res*): I 2,3 *Oportet igitur esse in oratore inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem:*

I 2,3 <i>officia oratoris</i>	ἔργα τοῦ ῥήτορος	(cf. n. 15)
<i>inuentio</i>	εὔρεσις	
<i>dispositio</i>	τάξις	
<i>elocutio</i>	λέξις	
<i>memoria</i>	μνήμη	
<i>pronuntiatio</i>	ὑπόκρισις	

Tre sono i metodi per conseguire queste cinque capacità: I 2,3 *Haec omnia tribus rebus adsequi poterimus, arte, imitatione, exercitatione*:

I 2,3	<i>ars</i>	τέχνη	(cf. n. 16)
	<i>imitatio</i>	μίμησις	
	<i>exercitatio</i>	γυμνασία	

Poi viene la divisione dell' *inuentio*: I 3,4 *Inuentio in sex partes orationis consumitur: in exordium, narrationem, diuisionem, confirmationem, confutationem, conclusionem*.

I 3,4	<i>inuentio</i>	εὔρεσις	(cf. n. 17)
	<i>exordium</i>	προοίμιον	
	<i>narratio</i>	διήγησις	
	<i>diuisio</i>	διαίρεσις	
	<i>confirmatio</i> }	πίστεις	
	<i>confutatio</i> }		
	<i>conclusio</i>	ἐπίλογος	

Quattro sono i generi di cause ai quali si deve adattare l' *exordium* (I 3,5 *Genera causarum sunt quattuor: honestum, turpe, dubium, humile*):

I 3,5	<i>genera causarum</i> (<i>figurae controuersiarum</i> , Aug. <i>rhet.</i> 147,20 Halm; Giomini, 66,2–11)	σχήματα ὑποθέσεων	(cf. n. 20)
	<i>honestum</i>	ἔνδοξον	
	<i>turpe</i>	παράδοξον	
	<i>dubium</i>	ἀμφίδοξον	
	<i>humile</i>	ἄδοξον	

A sua volta l' *exordium* viene diviso in due *genera exordiorum*: I 4,6 *Exordiorum duo sunt genera: principium quod Graece prooemium appellatur, et insinuatio, quae epodos nominatur*.

I 4,6	<i>genera exordiorum</i>		(cf. n. 20)
	<i>principium</i>	προοίμιον	
	<i>insinuatio</i>	ἔφοδος	

Il *principium* ha la funzione di preparare l'ascoltatore all'ascolto (*idoneum ad audiendum*): I 4,6 *Id ita sumitur, ut attentos, ut dociles, ut beniuolos auditores habere possimus*:

I 4,6	fine del <i>principium</i> è fare in modo che l'ascoltatore sia:	
	<i>adtentus</i>	προσεκτικός, προσεχής

<i>docilis</i>	εὐμαθής
<i>beniuolus</i>	εὔνους

I modi per conciliarsi la benevolenza dell'ascoltatore sono quattro: I 4,8 *Beniuolos auditores facere quattuor modis possumus: ab nostra, ab aduersariorum nostrorum, ab auditorum persona, et ab rebus ipsis:*

I 5,8 <i>beniuolentiam contrahemus</i>	(cf. n. 22)
<i>ab nostra persona</i>	ἐκ τοῦ λέγοντος
<i>ab aduersariorum persona</i>	ἐκ τοῦ ἐναντίου
<i>ab audientium persona</i>	ἐκ τοῦ ἀκροατοῦ
<i>ab rebus ipsis</i>	ἐκ τοῦ πράγματος

In tre occasioni, però, non si può usare il *principium* o esordio scoperto e si deve fare ricorso alla *insinuatio*:

I 6,9 <i>cum turpem causam habemus, hoc est cum ipsa res animum auditoris a nobis alienat</i>	(cf. n. 20)
<i>cum animus auditoris persuasus esse uidetur ab iis, qui ante contra dixerunt cum defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt</i>	

Per ognuno di questi casi è presentata la topica d'impiego dell'*insinuatio* (I 6,9–6,10). Il *principium* o esordio aperto e l'*insinuatio* si differenziano nel fatto che l'*insinuatio* deve raggiungere gli stessi scopi del *principium*, ma *occulte, per dissimulationem*, e gli scopi sono quelli di fare sì che l'ascoltatore sia *attentus, docilis, beniuolus* (I 7,11).

L'esordio difettoso è quello che (a) può riferirsi a più cause, (b) può essere usato anche dall'avversario; (c) è troppo lungo ed è costruito con espressioni troppo ricercate ed elaborate; (d) non si adatta bene alla causa (I 7,11).

Dopo l'esordio viene la *narratio* (I 8,12–9,16) che è divisa in tre tipi: (cf. n. 24)

I 8,12 <i>cum exponimus rem gestam aut fidei ut criminationis aut transitionis aut alicuius apparationis causa id, quod a causa ciuili remotum est, in quo tamen exerceri conuenit</i>	
--	--

I primi due tipi sono διηγήσεις ἐπὶ κριτῶν, mentre il terzo tipo concerne le διηγήσεις καθ'ἑαυτάς, cioè narrazioni per le narrazioni, e comprende di fatto la cultura letteraria.

Il terzo tipo, poi, si divide in due *genera*: (cf. n. 24)

I 8,13 <i>in negotiis</i>	διηγήσεις κατὰ πράγματα
<i>in personis</i>	διηγήσεις κατὰ πρόσωπα

Il genere *in negotiis* si divide in tre parti: (cf. n. 24)

<i>fabula</i>	μῦθος
<i>historia</i>	ἱστορία
<i>argumentum</i>	πλάσμα

La *fabula* consiste nella narrazione di fatti immaginarî e inverosimili, l'*historia* di fatti veri lontani nel tempo, l'*argumentum* di fatti immaginarî, ma verosimili, come l'*argumentum* di una commedia.

La *narratio in personis* deve possedere varie qualità (tuttavia è andata perduta la più precisa partizione greca). (cf. n. 24).

La narrazione deve essere: (cf. n. 25)

I 9,14	<i>brevis</i>	σύντομος
	<i>dilucida</i>	σαφής
	<i>ueri similis</i>	πιθανή

Vengono quindi descritte le modalità necessarie ad ottenere queste tre *uirtutes narrationis* (I 9,14–9,16).

Si passa, poi, alla *diuisio* della causa, nella quale si mette in luce quali sono i punti d'accordo e di disaccordo con gli avversari. Continua, quindi, la *distributio*, divisa in due parti. (cf. n. 27)

I 10,17	<i>enumeratio</i> (dei punti che svilupperemo nella nostra orazione)
	<i>expositio</i> (dei punti enumerati).

Seguono nella trattazione la *confirmatio* e la *confutatio* (I 10,18–15,25). Sia la conferma, sia la confutazione si fondano sulla precisa conoscenza della natura della causa (*constitutio, status, στάσις*). Viene, quindi, sviluppata la dottrina degli *status*, sulla quale cf. n. 29, e gli schemi ivi riportati, dei quali trascrivo qui di seguito solo quello della *Rhet. Her.*, meglio sarebbe dire, del suo *doctor* (I 11,18) e dei *secuti Antonium* (cf. L. Calboli Montefusco, *La dottrina degli "status" 197–206*). Tre sono, dunque, le *constitutiones (status)* della *Rhet. Her.* e del suo *doctor*, divise, poi, in altre realizzazioni delle singole *constitutiones (status)*: (cf. nn. 29–45)

I 11,18	<i>coniecturalis</i> στοχασμός			
I 11,19	<i>legitima</i> νομική	$\left\{ \begin{array}{l} \textit{ex scripto et sententia} \\ \textit{ex contrariis legibus} \\ \textit{ambiguum} \\ \textit{definitio} \\ \textit{translatio} \\ \textit{ratiocinatio} \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} \textit{concessio} \\ \textit{translatio criminis} \\ \textit{remotio criminis} \\ \textit{comparatio} \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} \textit{purgatio} \\ \textit{deprecatio} \end{array} \right.$
				$\left\{ \begin{array}{l} \textit{fortuna} \\ \textit{prudentia} \\ \textit{necessitudo} \end{array} \right.$
				$\left\{ \begin{array}{l} \textit{in hominem} \\ \textit{in rem} \end{array} \right.$

Segue la casistica delle *constitutiones* nelle loro singole applicazioni con la relativa esemplificazione.

I 11,19–15,25

<i>constitutio coniecturalis</i>	=	la questione: se l'imputato abbia compiuto il fatto o no
<i>ex scripto et sententia</i>	=	si ha contrasto fra il testo della legge e l'intenzione del legislatore
<i>ex contrariis legibus</i>	=	una legge permette e un'altra vieta
<i>ex ambiguo</i>	=	di una legge si danno diverse interpretazioni
<i>ex definitione</i>	=	definire il reato e individuare la legge che lo preveda
<i>ex translatione</i>	=	il reo chiede un rinvio o il cambio dell'accusatore o della giuria o della corte giudicante
<i>ex ratiocinatione</i>	=	non esiste una legge specifica per la fattispecie in questione e si fa ricorso per analogia a leggi fatte per casi simili
<i>constitutio iuridicialis</i>	=	si riconosce il fatto, ma si discute se sia o meno un reato
<i>absoluta</i>	=	si sostiene che il fatto non costituisce reato
<i>adsumptiva</i>	=	il fatto costituisce reato, ma si giustifica

<i>concessio</i>	=	il reo chiede perdono
<i>purgatio</i>	=	azione involontaria per caso (<i>fortuna</i>), di ignoranza (<i>inprudencia</i>), caso forza maggiore (<i>necessitudo</i>)
<i>deprecatio</i>	=	si riconosce il fatto e la colpa, ma si chiede misericordia
<i>ex translatione</i>	=	si riconosce il fatto, ma si attribuisce la colpa alla parte lesa
<i>ex remotione</i>	=	si riconosce il reato, ma se ne attribuisce la colpa ad altri
<i>ex comparatione</i>	=	tra un inevitabile reato maggiore o minore si è compiuto il meno grave

Prima di affrontare il modo di trattare questi tipi di causa, si considera la *ratio*, la ragione che contiene la difesa e dà vita alla causa (I 16,26). Qui entra in gioco la dottrina del κρινόμενον (cf. n. 29), che ha dato luogo a varie discussioni, presentate alla n. 29 del *Commento*, con la specifica bibliografia relativa. Nella *constitutio coniecturalis* non si ha, naturalmente, né *ratio, qua re fecerit*, né *firmamentum* (συνέχον), cf. I 17,27. Le *iudicationes* devono accordarsi alle *constitutiones* delle cause, e, quanto, alle *iudicationes* e alle *constitutiones*, l'Auctor scrive che, se in una causa ci saranno più *constitutiones*, ci saranno anche più *iudicationes*, perché *omnes simili ratione reperientur* (I 17,27, e cf. nn. 46–47 del *Commento*).

Libro II

Anche il libro II, come il libro I, è dedicato al *genus iudiciale* della causa (II 1,1). È introdotto da un breve riassunto del primo libro, seguito da un rapido sommario del libro secondo (II 2,2), nel quale è detto che il libro secondo si svilupperà su tre punti: (1) il metodo per adattare le *inventiones* alle singole *constitutiones* o alle loro *partes*; (2) i tipi di argomentazione (ἐπιχείρημα) che si devono seguire e quelli che si devono evitare nell'ambito della *confirmatio* e della *confutatio*; (3) i tipi di *conclusio* da impiegare.

Si comincia con lo studio della *causa coniecturalis* (II 2,3–8,12).

La *ratio* della *causa coniecturalis* si distribuisce in sei *partes*: (cf. n. 3)

II 2,3	<i>probabile</i>	εἰκός
	<i>conlatio</i>	σύγκρισις
	<i>signum</i>	σημεῖον
	<i>argumentum</i>	τεκμήριον
	<i>consecutio</i>	σύμπτωμα (nella terminologia medica)
	<i>adprobatio</i>	βεβαίωσις

Il *probabile* si divide in: (cf. n. 4)

<i>causa</i>	αἰτία
<i>uita</i>	βίος

Viene poi presentata la topica di *causa* e *uita*, tenendo conto del diverso comportamento dell'accusatore e del difensore (II 2,3–3,5), e si aggiunge la *conlatio* con la quale si dimostra che il reato tornava utile (o non tornava utile) all'accusato meglio che a chiunque altro (II 4,6). (cf. n. 8)

Il successivo *signum* è diviso in sei parti, delle quali si dà la topica: (cf. n. 9)

II 4,7	<i>locus</i>	τόπος
	<i>tempus</i>	χρόνος
	<i>spatium</i> }	
	<i>occasio</i>	
	<i>spes perficiendi</i>	
	<i>spes celandi</i>	

Viene poi l'*argumentum*, diviso in *tria tempora*, con la relativa topica: (cf. n. 13)

II 5,8	<i>praeteritum</i>	πρὸ τοῦ πράγματος
	<i>instans</i>	ἄμα τῷ πράγματι
	<i>consequens</i>	μετὰ τὸ πρᾶγμα

Segue una breve trattazione della *consecutio* (II 5,8) su cui cf. nn. 14–15, e della *adprobatio* (II 6,9–8,12). La *adprobatio* può avere: (cf. nn. 16–18)

loci propri dell'accusa e della difesa, e, quindi, diversi fra di loro
loci communes all'accusa e alla difesa.

I *loci communes* (κοινοὶ τόποι) sono:

II 6,9	<i>abs testibus</i>	– <i>contra testes</i>
II 7,10	<i>abs quaestionibus</i>	– <i>contra quaestiones</i>
II 7,11	<i>abs argumentis</i>	– <i>contra argumenta</i>
II 8,12	<i>abs rumoribus</i>	– <i>contra rumores</i>

Viene poi trattata la *constitutio legitima* con la topica delle sue parti:

II 9,13–10,14	<i>ex scripto et sententia</i>	(cf. n. 21)
II 10,15	<i>ex contrariis legibus</i>	(cf. n. 23)
II 11,16	<i>ambiguum</i>	(cf. n. 24)
II 12,17	<i>definitio</i>	(cf. n. 25)
II 12,18	<i>translatio</i>	(cf. n. 26)
II 12,18	<i>ratiocinatio</i>	(cf. n. 26)

La trattazione dell'*argumentatio perfecta* si conclude con l'analisi di un esempio, col quale si mostra che una *argumentatio* può comporsi anche con meno delle cinque parti sopra indicate (II 19,29–30 *Ergo absolutissima est argumentatio ea, quae ex quinque partibus constat; sed ea non semper necesse est uti*).

La parte che concerne le *argumentationes* si conclude con la presentazione delle *argumentationes uitiosae* (II 20,31–29,46).

Le *argumentationes uitiosae* (κακίαι τῶν πίστεων) sono di due generi, quelle che possono essere confutate dall'avversario, e altre, diversamente deboli, anche se inconfutabili (II 20,31). I difetti delle argomentazioni difettose vengono poi esaminati secondo le cinque parti dell'argomentazione perfetta: (cf. nn. 46–78)

- II 20,32–21,34 *expositio uitiosa*
 II 20,32 (a) un'asserzione valevole per alcune parti è attribuita a tutte
 II 20,33 (b) si nega che accada ciò che, invece, accade, seppure raramente
 II 21,33 (c) affermiamo di aver raccolto tutti gli elementi e invece ne abbiamo trascurato uno importante
 II 21,34 (d) l'argomentazione si fonda su una enumerazione falsa per eccesso o per difetto
 II 22,34 (e) l'argomentazione viene presa troppo di lontano
- II 23,35–24,37 *ratio uitiosa*
 II 23,35 (a) la *ratio* è debole o inconsistente
 II 23,36 (b) la *ratio* è *infirma*, perché non adduce una causa cogente
 II 24,37 (c) la *ratio* non dice altro che quello che è stato detto nell'*expositio*
 II 24,37 (d) la *ratio* è inadatta all'*expositio*
 II 24,37 (e) la *ratio* può adattarsi anche a un'altra *expositio*
- II 24,38–28,45 *confirmatio rationis uitiosa*: ne vengono presentati ventidue tipi.
- II 29,46 *exornatio uitiosa*:
 (a) parti dissimili
 (b) esempio mancante o falso
 (c) precedente giudiziario inadatto
 (d) semplice constatazione di un fatto ammesso
 (e) amplificazione di un fatto non ancora provato
- II 29,46 *complexio uitiosa*: disordinata, troppo lunga, che non offre alcun elemento sicuro per comprendere l'argomentazione nelle sue parti.

Il resto del libro è dedicato alle *conclusiones* (ἐπίλογοι) (II 30,47–31,50).

(cf. nn. 79–86)

La *conclusio* è divisa in:

II 30,47	<i>enumeratio</i>	ἀνακεφαλαίωσις ο ἀνάμνησις	(cf. nn. 79–80)
	<i>amplificatio</i>	αὔξησις, δεινώσις	
	<i>conmiseratio</i>	οἶκτος ο ἔλεος	

Dopo una breve trattazione *dell'enumeratio* (II 30,47) vengono presentati i dieci *loci communes* dell'*amplificatio*: (cf. nn. 81–85):

- II 30,48–30,49 (1) *auctoritas*, interesse per il fatto da parte di persone fornite di autorità
 (2) persone a cui concerne il fatto in questione
 (3) conseguenza del fatto e di una sua generalizzazione
 (4) il fatto rappresenta un pericoloso esempio
 (5) un errore di giudizio sarebbe irrimediabile a differenza di altri giudizi
 (6) il delitto è stato premeditato e non ha scusanti d'involontarietà
 (7) odiosità ed efferatezza del delitto
 (8) particolare gravità del delitto
 (9) mancanza di attenuanti
 (10) evidenziazione completa delle conseguenze

Topica della misericordia (II 31,50) (cf. n. 86)

Libro III

Il libro si apre con una breve indicazione della materia del libro terzo e del libro quarto. Completata la parte relativa al *genus iudiciale*, nel terzo libro si tratterà delle *causae deliberatiuae e demonstratiuae* e, inoltre, di tre delle quattro parti della retorica che rimangono (*dispositio, elocutio, pronuntiatio, memoria*), cioè della *dispositio*, della *pronuntiatio* e della *memoria*. All'*elocutio*, invece, sarà dedicato tutto il quarto libro, il più ampio, con un riferimento al solecismo e al barbarismo (IV 12,17) e la promessa di trattare questi *uitia sermonis* in una futura *ars grammatica* (IV 12,17). Questa svolta, improntata a un crescente interesse per la λέξις, l'*elocutio*, non solo corrisponde alla *Rhetorica* di Aristotele, dove il terzo e ultimo libro è dedicato alla λέξις, ma a una maggior attenzione alla funzione letteraria (ed extragiudiziaria) della *Rhetorica*, conforme non solo ancora ad Aristotele (che vedeva la *Rhetorica* dal punto di vista filosofico e dialettico, come una sorta di 'logica modale'), ma anche all'impiego scolastico e oratorio della scuola rodiese di Apollonio Molone. L'*ornare elocutionem*, assumendo esempi *ab oratore aut poeta probato* sembrerebbe il procedimento naturale, ma l'Auctor, invece, conierà egli stesso gli *exempla*, in polemica con Ermagora di Temno, incapace di *scribere ex arte*. Un motivo specifico e concreto, quindi, per allontanarsi dalla Retorica giudiziaria, per andare oltre. È la premessa per andare verso la Retorica scolastica di Quintiliano, in un impero, sostenuto dalla

forza delle armi e dal latino dei suoi tribunali, dei suoi oratori e dei suoi letterati (storici, poeti, naturalisti).

Le *deliberationes*, dunque, possono riguardare due tipi di scelta: (cf. nn. 1–5)

- III 2,2 *utrum potius faciendum sit*, cioè la scelta fra due possibilità, una scelta alternativa
quid potissimum faciendum sit, cioè scelta fra più possibilità

Le *deliberationes* si dividono poi in altri due tipi:

- III 2,2 *deliberationes ipsae propter se consultandae*
deliberationes propter aliquam extraneam causam consultandae

Il fine (τέλος) di ogni *oratio* deliberativa è l'*utilitas* (τὸ συμφέρον) e l'*utilitas* nelle delibere che riguardano la vita pubblica può essere di due tipi: (cf. nn. 6–19)

- III 2,3 *tuta* τὸ χρήσιμον (τὸ ἀναγκαῖον)
honesta τὸ καλόν

La *utilitas tuta* si raggiunge in due modi, i quali, a loro volta, si concretizzano attraverso varî mezzi:

- III 2,3 *uis*: (a) *exercitus*
 (b) *classes*
 (c) *arma*
 (d) *tormenta*
 (e) *euocationes hominum*
 (f) *aliae res*

- dolus*: (a) *pecunia*
 (b) *pollicitatio*
 (c) *dissimulatio*
 (d) *maturatio*
 (e) *mentitio*
 (f) *ceterae res*

La *utilitas honesta* si divide in due parti, che poi vengono ulteriormente ripartite:

- III 2,3 *rectum*: (a) *prudentia* φρόνησις (cf. nn. 9–14)
 ὀρθόν (b) *iustitia* δικαιοσύνη
 (c) *fortitudo* ἀνδρεία
 (d) *modestia* σωφροσύνη

- III 4,7 *laudabile* (a) *ab idoneis hominibus* (cf. n. 19)
 ἐπαινετόν (b) *quibus sociis*
 (c) *omnibus ciuibus*

(d) *exteris nationibus*(e) *posteris nostris*

Definizioni e topica d'uso delle parti del *rectum* (*prudentia, iustitia, fortitudo, modestia*) sono presentate nella *uirtutis amplificatio* e nella *adtenuatio* (III 2,3–3,6). Segue la trattazione del *laudabile* secondo le sue parti (III 4,7).

La causa *deliberatiua* pure, come la precedente causa *iudicialis*, si divide in *exordium, narratio, diuisio, confirmatio, confutatio, conclusio*. Vengono, quindi, esposte brevemente le maniere (*rationes*) secondo le quali presentare la causa *deliberatiua* (γένος συμβουλευκτικόν) nella successione delle sue parti e secondo i criteri messi in luce precedentemente (III 4,7–5,9).

Poi si passa al *genus causae demonstratiuum* (γένος ἐπιδεικτικόν). Lo scopo di questo genere è la *laus* o la *uituperatio* (III 6,10).

La *laus* può riguardare:

III 6,10	<i>res externae</i>	τὰ ἐκτὸς ἀγαθὰ	(cf. nn. 23–24)
	<i>corpus</i>	εὐθηνία σωμάτων	
	<i>animus</i>	ἀρεταὶ ψυχῆς	

Queste parti, poi, si compongono di varie sottoparti:

III 6,10 *laudes* (o *uituperationes*) *rerum externarum*:

<i>genus</i>	εὐγένεια
<i>educatio</i>	παιδεία
<i>diuitiae</i>	χρήματα
<i>potestates</i>	δυναστεία
<i>gloriae</i>	δόξα
<i>ciuitas</i>	πατρίς
<i>amicitiae</i>	φίλοι

laudes (o *uituperationes*) *corporis*:

<i>uelocitas</i>	ποδώκεια
<i>uires</i>	ἰσχὺς
<i>dignitas</i>	καλοκάγαθία
<i>ualetudo</i>	ὕγεια

laudes (o *uituperationes*) *animi*:

<i>prudentia</i>	φρόνησις
<i>iustitia</i>	δικαιοσύνη
<i>fortitudo</i>	ἀνδρεία
<i>modestia</i>	σωφροσύνη

Come il *genus iudiciale* e quello *deliberatiuum*, anche il *genus demonstratiuum* è diviso nelle parti del discorso retorico, *exordium*, *narratio* ecc. (cf. Fuhrmann, *Das systematische Lehrbuch* 45), benché questo non sia detto esplicitamente dall'Auctor, e, come appare da quanto segue, manchino la *confirmatio* e la *confutatio*, e talvolta la *narratio*.

Il *principium* viene ripartito come nel *genus iudiciale* (cf. 1,5,8, cf. *Commento Libro I* n. 22):

III 6,11	<i>ab nostra persona</i>	ἐκ τοῦ λέγοντος	(cf. n. 25)
	<i>ab eius, de quo loquimur, persona</i>	ἐκ τοῦ ἐναντίου	
	<i>ab eorum, qui audient, persona</i>	ἐκ τοῦ ἀκροατοῦ	
	<i>ab re</i>	ἐκ τοῦ πράγματος	

Segue la topica d'uso di queste parti (III 6,11–12). Poi viene presentata la *diuisio* come esposizione del materiale che deve essere trattato nella *laus* o nella *uituperatio*, conformemente ai criteri sopra esposti di *res externa*, *corpus*, *animus* (III 7,13–8,15). Manca un riferimento esplicito alla *confirmatio* e alla *confutatio*, ma entrambi i criteri sono, a quanto sembra, compresi nel genere, la *confirmatio* nella *laus*, la *confutatio* nella *uituperatio*. Poi viene la *conclusio*: questa deve essere breve e constare solo di una *enumeratio*, quale termine del discorso; le *amplificationes* sono inserite nel discorso stesso (III 8,15).

Viene così esaurita la *inuentio* riguardo ai tre generi di causa, *iudiciale*, *deliberatiuum*, *demonstratiuum*, e l'Auctor passa alla *dispositio* (III 9,16).

I *genera dispositionum* sono due.

III 9,16	<i>ab institutione artis profectum</i>	(cf. nn. 26–31)
	<i>ad casum temporis adcommodatam</i>	

Quanto all'*institutio artis*, viene proposta quella indicata per l'*inuentio* nei libri I e II, secondo la duplice divisione di *oratio* (nelle sue parti, *exordium*, *narratio*, *diuisio*, *confirmatio*, *confutatio*, *conclusio*) e *argumentatio* (essa pure nelle sue parti, *expositio*, *ratio*, *confirmatio rationis*, *exornatio*, *conclusio*). In luogo di questa *dispositio* secondo l'*institutio artis*, si può avere una *dispositio ad tempus adcommodata*, della quale vengono dati alcuni esempi (III 9,17–10,18).

Può, così, essere opportuno iniziare il discorso dalla *narratio*, o da una *firma argumentatio*, ecc., con procedimenti di *commutatio* e *translatio* delle parti nelle parti successive.

Si passa, quindi, alla *pronuntiatio* (ὑπόκρισις) (III 19–25). Dopo aver messo in evidenza i meriti della *pronuntiatio*, si passa alle sue partizioni.

Essa, infatti, si divide in:

III 11,19	<i>in uocis figuram</i>	ὁ τόνος τῆς φωνῆς	(cf. nn. 32–45)
	<i>in corporis motum</i>	ἡ κίνησις τοῦ σώματος	

La *figura uocis* si divide, poi, in tre parti:

III 11,20 *magnitudo*
firmitudo
mollitudo

Vengono successivamente presentati i vantaggi di queste tre virtù della voce e il comportamento necessario per conservarle (III 11,20–14,25). Maggior attenzione viene dedicata alla *mollitudo uocis*. I suoi aspetti si realizzano nelle tre manifestazioni di:

III 13,23 *sermo* (conversazione)
contentio (discussione)
amplificatio (amplificazione)

Il *sermo* si divide in quattro parti (compresa la definizione di ciascuna di loro)

III 13,23 *dignitas* (serietà, discorso grave e calmo)
demonstratio (spiegazione a voce calma)
narratio (racconto)
iocatio (scherzo)

La *contentio*, a sua volta, si divide in due sottospecie:

III 13,23 *continuatio* (discussione senza interruzione)
distributio (interruzione nella discussione)

Infine nell'*amplificatio* si distinguono due tipi o applicazioni:

III 13,24 *cohortatio* (esortazione)
conquestio (compassione)

La parte relativa alla *figura uocis* si conclude con la presentazione della topica d'uso delle varie specie e sottospecie di essa (III 14,23–25).

L'ultima parte del III libro è dedicata alla *memoria (thesaurum inuentorum atque omnium partium rhetoricae custodem, Rhet. Her. III 16,28)*. (cf. n. 46)

Della memoria esistono due tipi: (cf. n. 47)

III 16,28 *naturalis* μνήμη φυσική
artificiosa μνήμη τεχνική

La trattazione riguarda, naturalmente, solo la *memoria artificiosa* che si compone di:

III 16,29 *loci* τόποι (edifici, colonnati, angoli, archi, vie)
imagines εἶδωλα (cavalli, leoni ecc.)

Si presentano, poi, le maniere da impiegare per scegliere i *loci*, per fissarli nella memoriae per adattarli a quello che si vuole ricordare (III 17,30–19,32). L'ultima parte è dedicata alle *imagines*. Le *imagines* si fondano sulle *similitudines*, che sono di due tipi: III 20,33 (cf. nn. 49–56)

similitudines rerum τόπος πραγματικός
similitudines uerborum τόπος λεκτικός

Vengono, poi, illustrati i due tipi di *imagines* (III 20,33–21,34), e si presentano le maniere e le condizioni per ottenere *imagines partim firmas, et acres et ad monendum idoneas* (III 21,35–38). Le mnemotecniche greche e gli elenchi di *imagines* vengono rifiutati per l'infinito numero di parole e di cose, per non limitare l'*industria* dei singoli nel cercare ciascuno il proprio metodo e perché basta indicare un solo modello mnemotecnico (III 23,38). L'Auctor conclude, però, mostrando i limiti della mnemotecnica e insistendo sulla necessità di compiere un assiduo esercizio pratico di tutto quanto è stato mostrato fino a questo punto della teoria retorica, una conclusione che sarà ripetuta alla fine anche del quarto libro e di tutta l'opera.

Libro IV

Il libro IV è consacrato interamente all'*elocutio* (λέξις) e nei primi paragrafi (IV 1,1–7,10) l'Auctor dedica un'ampia discussione al metodo di scegliere gli esempi (cf. Calboli 1993: *Introduzione*, pp. 42–46). (cf. nn. 1–29)

I Greci che hanno trattato dell'*elocutio*, ritengono che gli esempi debbano essere presi da buoni oratori e poeti per tre motivi: (1) per modestia, giacché sembrerebbe ostentazione presentare esempi propri (IV 1,1–2), (2) perché gli esempi valgono come *testimonia* ed è ridicolo che uno confermi la propria teoria con esempi propri, anzi bisogna che gli esempi vengano presi dagli autori di maggior prestigio, per la loro *auctoritas* e per spingere ad imitarli (IV 1,2, e cf. nn. 5; 7; 8), (3) perché è prova di abilità scegliere esempi appropriati e adattarli alle singole regole (IV 2,3). L'Auctor confuta questi argomenti nel modo seguente: (1) puerile è l'argomento della modestia, perché, se volessero veramente essere modesti, non dovrebbero scrivere nulla; se si togliessero dai loro libri l'esemplificazione estranea, non rimarrebbe più nulla di loro (IV 2,4–3,5), (2) gli esempi non vengono usati come *testimonia*, ma per spiegare, per completare la dimostrazione (*demonstrandis causa*); gli esempi come *testimonia* non possono confermare la validità dell'*ars*, perché sono presi da persone che ignoravano l'*ars* (IV 3,5–3,6, cf. nn. 15–17), (3) sarà certo *laboriosum* prendere esempi da molti, ma non è certo *egregium*; richiede, certamente, una certa conoscenza, ma non rivela grandi capacità (*si artificiosum est intellegere, quae sint ex arte scripta, multo est artificiosius ipsum scribere ex arte* (IV 4,7), e cf. n. 20). Poi l'Auctor continua adducendo altri motivi per provare che gli esempi non devono essere presi da vari oratori e poeti, perché, se si dovessero prendere esempi da altri autori, li si dovrebbe prendere

da uno solo. Se infatti si penserà che uno sia fornito di tutte le qualità, chi studia, cercherà di imitarlo; se invece le qualità non si troveranno in uno solo, chi studia, dispererà di poter apprendere l'*ars* (IV 5,7–8).

Infine l'Auctor dimostra che gli esempi devono essere coniatî dallo stesso autore della teoria, perché (a) l'autore deve mostrare di padroneggiare egli stesso la materia che insegna, (b) gli esempi di altri oratori non servono bene per mettere in evidenza le regole, perché ogni oratore cerca di nascondere l'*ars* (*dissimulatio artis*, cf. n. 28), invece l'autore di un'*ars* deve dare esempi dai quali l'*ars* sia messa in luce, non dissimulata (IV 7,10)¹⁴⁸.

È un criterio non dissimile quello che ha indotto l'Auctor a rendere con termini latini i varî termini greci della retorica (IV 7,10, e cf. n. 29, e il simile atteggiamento esteriormente antiellenico di C. Mario).

Poi si passa alla discussione dell'*elocutio*, vera e propria. Essa viene considerata sotto due aspetti:

IV 7,10 *quibus in generibus semper omnis oratoria elocutio debeat esse*
Quas res semper habere debeat

I *genera* (chiamati *figurae* dall'Auctor) dell'*oratio non uitiosa* sono tre:

(cf. nn. 30–46)

IV 8,11	<i>figura grauis</i>	χαρακτήρ ἄδρός
	<i>figura mediocris</i>	χαρακτήρ μέσος
	<i>figura extenuata</i>	χαρακτήρ ἰσχνός

Dopo la definizione dei tre *χαρακτήρες* (IV 8,11), oggetto di trattazione è la *figura grauis* e ne viene presentato un esempio (IV 8,11–12; cf. n. 36). Segue la *figura mediocris* con definizione ed esempio (IV 9,13), e il *genus adtenuatum figurae* illustrato dall'esempio pertinente (IV 10,14). Ma bisogna evitare di cadere nei tre *uitia* corrispondenti a questi tre *χαρακτήρες*, cioè nei *παρακειμένα ἀμαρτήματα*.

(cf. nn. 45–56)

IV 10,15–12,17	<i>genus sufflatum</i>	ψυχρόν, σκληρόν
	<i>genus dissolutum</i>	διαλελυμένον
	<i>genus exile (aridum et exangue)</i>	ξηρόν καὶ ταπεινόν

148 Questo punto è molto importante e offre un elemento rilevante per risolvere la questione degli esempi del Libro IV. Gli autori Greci e Latini non vengono ignorati da Cornificio, ma sono elaborati tramite esercizi declamatorî e così divengono esempi *expresse conscripta* (IV 7,10). L'autore non è né un bugiardo, né un ladro (Marx, *Prolegomena* 114), ma fa suoi esempi Greci (divenuti Romani, perché i Greci erano 'deditici' dei Romani, cf. G. Calboli, 1999c), rielaborandoli personalmente o, ancora personalmente, nella sua scuola, alla scuola del suo *doctor*. Su questa questione non mi allontano da quanto ho scritto in Calboli: 1969 (1993?) *Introduzione*, pp. 46–50. Se poi la dottrina delle figure si mostra, come effettivamente qui sembra, ancora in fase di elaborazione, come scrivevo nel 1969, si dovrà esitare a porre più tardi l'opera di Cornificio scritta per C. Herennius.

Anche di questi *uitia* sono date definizioni e gli esempi corrispondenti (IV 10,15–12,17).

Dopo aver presentato i *genera* dell' *elocutio*, vengono indicate le qualità che deve possedere una *elocutio commoda et perfecta*: (cf. n. 57)

IV 12,17	<i>elegantia</i>	
	<i>compositio</i>	ἁρμονία, σύνθεσις
	<i>dignitas</i>	κατασκευή

La *elegantia* si divide in:

IV 12,17	<i>Latinitas</i>	ἑλληνισμός
	<i>explanatio</i>	σαφήνεια

Inoltre la *Latinitas* si ha, purché si evitino due *uitia*: (cf. n. 58)

IV 12,17	<i>soloecismus</i>	σολοικισμός (errore di sintassi)
	<i>barbarismus</i>	βαρβαρισμός (errore di parola)

L' *explanatio* si ottiene *usitatis uerbis et propriis*; vengono, quindi, definiti gli *usitata uerba* e i *propria* (IV 12,17). (cf. n. 60).

Una buona *compositio* si ha, se si evitano: (cf. nn. 63; 64; 65; 66; 67)

IV 12,18	<i>crebras uocalium concursiones</i>	
	<i>eiusdem litterae nimiam adsiduitatem</i>	
	<i>transgressiones</i>	
	<i>similiter cadentia uerba</i>	

A sua volta la *dignitas* si divide in: (cf. n. 69)

IV 13,18	<i>uerborum exornationes</i>	σχήματα λέξεως
	<i>sententiarum exornationes</i>	σχήματα διανοίας

Poi si trova una lacuna e il testo riprende con una serie di figure *uerborum* (*uerborum exornationes*), che sono seguite da dieci tropi (non chiamati, però, tropi, ma *exornationes uerborum*, che *omnes in uno genere sunt positae. Nam earum omnium hoc proprium est, ut ab usitata uerborum potestate recedatur atque in aliam rationem cum quadam uenustate oratio conferatur*, IV 31,42). Viene infine un'ultima serie di figure, le figure *sententiarum* (*sententiarum exornationes*). Tutte vengono qui di seguito elencate. La dottrina delle figure e dei tropi (che in Quintiliano si troverà esposta nel libro VIII (i tropi) e nel IX (le figure) della *Institutio oratoria*) viene sviluppata nell'ultima, più ampia parte del libro per 50 paragrafi (IV 13,19–55,68). Prima, da IV 13,19 a IV 34,46, vengono presentate le *exornationes uerborum* (da IV 31,42 a IV 34,46, quelle *exornationes* che poi altri retori chiameranno 'tropi'), successivamente, da IV 35,47 a IV 55,68, le *exornationes sententiarum*. Si può ipotizzare che le dieci *exornationes uerborum* di IV 42–46, siano state riunite insieme per una certa influenza della

dottrina stoica, ma in G. Calboli, 1998a, "From Aristotelian λέξις to *elocutio*", io ho mostrato che questa dell'Auctor è la successione che si trova nella 'Rhetorica' e nella 'Poetica' di Aristotele, con la differenza che Aristotele considera metafora, quello che poi Teofrasto (probabilmente) ha diviso in metafora, metonimia e sineddoche. Nella *Rhetorica ad Herennium* si conserva, comunque, il criterio asiatico-ellenistico della *exornatio*, che K. Barwick 1957, non riuscendo a farlo rientrare nel sistema stoico, chiamò (certo dalla *Rhet. Her.*) asiatico-ellenistico. Ecco, quindi, qui di seguito questi σχήματα (cf. nn. 121; 124; 186; 192; 212; 218):

IV 13,19	<i>repetitio</i>	ἐπαναφορά, ἐπιβολή	(cf. n. 70)	[1]
	<i>conuersio</i>	ἀντιστροφή, ἐπιφορά	(cf. n. 74)	[2]
IV 14,20	<i>complexio</i>	συμπλωκή, κοινότης	(cf. n. 79)	[3]
	<i>tractio</i>	ἀντιμετάθεσις, σύγκρισις, ἀντίστασις	(cf. n. 81)	[4]
IV 15,21	<i>contentio</i>	ἀντίθεσις, ἀντίθετον	(cf. n. 89)	[5]
IV 15,22	<i>exclamatio</i>	ἀποστροφή, ἐκφώνησις, σχετλιασμός	(cf. n. 93)	[6]
	<i>interrogatio</i>	ἐρώτησις, ἐρώτημα	(cf. n. 97)	[7]
IV 16,23	<i>ratiocinatio</i>	αἰτιολογία	(cf. n. 99)	[8]
IV 17,24	<i>sententia</i>	γνώμη	(cf. n. 102)	[9]
IV 18,25	<i>contrarium</i>	ἐνθύμημα	(cf. n. 113)	[10]
IV 19,26	<i>membrum</i>	κῶλον	(cf. n. 116)	[11]
	<i>articulus</i>	κόμμα	(cf. n. 118)	[12]
IV 19,27	<i>continuatio</i>	περίοδος	(cf. n. 120)	[13]
IV 20,27	<i>compar</i>	ἰσόκωλον, πάρισον, παρίσωσις	(cf. n. 121)	[14]
IV 20,28	<i>similiter cadens</i>	ὁμοίωπτων	(cf. n. 122)	[15]
	<i>similiter desinens</i>	ὁμοιοτέλευτον	(cf. n. 123)	[16]
IV 21,29–23,32	<i>adnominatio</i>	παρονομασία	(cf. n. 124)	[17]
la <i>adnominatio</i> si ottiene: (1) per <i>propinqua similitudo</i>				
(a) riduzione e contrazione di una stessa lettera				
(b) <i>ex contrario</i>				
(c) allungamento <i>eiusdem litterae</i> (cioè sillaba)				
(d) abbreviazione <i>eiusdem litterae</i> (cioè sillaba)				
(e) <i>addendis litteris</i>				
(f) <i>demendis litteris</i>				
(g) trasposizione di lettere				
(h) cambiamento di lettere				
(2) per una <i>non tam propinqua similitudo</i>				
(3) per una <i>casuum commutatio</i>				
IV 23,33–24,34	<i>subiectio</i>	ὑποφορά, ἀνθυποφορά	(cf. n. 136)	[18]
IV 25,34	<i>gradatio</i>	κλίμαξ	(cf. n. 143)	[19]
IV 25,35	<i>definitio</i>	ὀρισμός	(cf. n. 146)	[20]
IV 26,35	<i>transitio</i>	μετάβασις	(cf. n. 149)	[21]
IV 26,36	<i>correctio</i>	ἐπιδιόρθωσις, ἐπανόρθωσις, μετάνοια	(cf. n. 151)	[22]
IV 27,37	<i>occultatio, praeteritio</i>	παράλειψις	(cf. n. 155)	[23]

	<i>disiunctum</i>	διεξευγμένον	(cf. n. 157) [24]
IV 27,38	<i>coniunctio</i>	συνεξευγμένον	(cf. n. 160) [25]
	<i>adiunctio</i>	ἐπεξευγμένον	(cf. n. 160) [26]
IV 28,38	<i>conduplicatio</i>	ἀναδίπλωσις, παλιλλογία, ἐπανάληψις	(cf. n. 162) [27]
	<i>interpretatio</i>	συνωνυμία	(cf. n. 164) [28]
IV 28,39	<i>commutatio</i>	ἀντιμεταβολή	(cf. n. 165) [29]
	<i>permissio</i>	ἐπιτροπή	(cf. n. 169) [30]
IV 29,40	<i>dubitatio</i>	ἀπορία, διαπόρησις	(cf. n. 171) [31]
	<i>expeditio</i>	(senza corrispondenti greci)	(cf. n. 174) [32]
IV 30,41	<i>dissolutum</i>	ἀσύνδετον, διάλυσις	(cf. n. 177) [33]
	<i>praecisio</i>	ἀποσιώπησις	(cf. n. 179) [34]
	<i>conclusio</i>	(senza corrispondenti greci)	(cf. n. 184) [35]

A questo punto seguono dieci *exornationes uerborum*, che dai retori successivi sono considerate e chiamate ‘tropi’, come è stato indicato sopra:

IV 31,42	<i>nominatio</i>	ὀνοματοποιία	(cf. n. 187) [36]
	<i>pronominatio</i>	ἀντονομασία	(cf. n. 190) [37]
IV 32,43	<i>denominatio</i>	μετωνυμία	(cf. n. 192) [38]
	<i>circumitio</i>	περίφρασις	(cf. n. 197) [39]
IV 32,44	<i>transgressio</i>	ὑπερβατόν	(cf. n. 199) [40]
IV 33,44	<i>superlatio</i>	ὑπερβολή	(cf. n. 202) [41]
IV 33,44–45	<i>intellectio</i>	συνεκδοχή	(cf. n. 207) [42]
IV 33,45	<i>abusio</i>	κατάχρησις	(cf. n. 210) [43]
IV 34,45	<i>translatio</i>	μεταφορά	(cf. n. 212) [44]
IV 34,46	<i>permutatio</i>	ἀλληγορία	(cf. n. 218) [45]

Queste *exornationes uerborum* sono seguite dalle seguenti *exornationes sententiarum*:

IV 35,47	<i>distributio</i>	μερισμός, διαίρεσις	(cf. n. 223) [46]
IV 36,48–37,50	<i>licentia</i>	παρρησία	(cf. n. 227) [47]
IV 38,50	<i>deminutio</i>	ἀντεναντίωσις, λιτότης	(cf. n. 233) [48]
IV 39,51	<i>descriptio</i>	διατύπωσις, ὑποτύπωσις	(cf. n. 235) [49]
IV 40,52	<i>diuisio</i>	διλήμματον (προσαπόδωσις)	(cf. n. 239) [50]
IV 40,52–41, 53	<i>frequentatio</i>	συναθροισμός	(cf. n. 242) [51]
IV 42,54	<i>expolitio</i>	χρεία	(cf. n. 247) [52]
IV 45,58	<i>commoratio</i>	ἐπιμονή	(cf. n. 247) [53]
	<i>contentio</i>	(ἀντίθεσις, ἀντίθετον)	(cf. n. 263) [54]
IV 45,59–48,61	<i>similitudo</i>	παραβολή (εἰκόν, εἰκασία)	(cf. n. 264) [55]
IV 49,62	<i>exemplum</i>	παραδείγμα	(cf. n. 270) [56]
	<i>imago</i>	εἰκόν	(cf. n. 273) [57]
IV 49,63	<i>effictio</i>	χαρακτηρισμός (πρὸ εἰκονισμός)	(cf. n. 276) [58]
IV 50,63	<i>notatio</i>	ἡθοποιία	(cf. n. 277) [59]
IV 52,65	<i>sermocinatio</i>	διάλογοι	(cf. n. 290) [60]

IV 53,66	<i>conformatio</i>	προσωποποιία	(cf. n. 297) [61]
IV 53,67	<i>significatio</i>	ἔμφασις	(cf. n. 300) [62]
ottenuta	(1) <i>per exuperationem</i>		
	(2) <i>per ambiguum</i>		
	(3) <i>per consequentiam</i>		
	(4) <i>per abscisionem</i>		
	(5) <i>per similitudinem</i>		
IV 54,68	<i>brevitas</i>	βραχυλογία	(cf. n. 306) [63]
IV 55,68	<i>demonstratio</i>	ἐνάργεια, ὑποτύπωσις, διατύπωσις	(cf. n. 309) [64]

Nella conclusione l'Auctor si rivolge a Erennio, esortandolo a impegnarsi nello studio dell'*ars* e nella *exercitatio* (che è, anche, l'ultima parola con cui si chiude l'opera), e presenta un brevissimo sommario di quanto è stato *demonstratum, dictum, traditum, praeceptum*.

SIGLA CODICUM

Singulorum manuscriptorum descriptiones facile, lector, inuenias in operibus ad manuscriptos sigulos adiunctis et uocabulo *Descriptio* signatis.

Codices Mutili (M)

- H** = Herbipolitanus, Würzburg, Universitätsbibliothek, M. p. misc. f. 2, saec. IX^{2/4} (Marx 1894: 11sq. (*Descriptio*); Hafner, *Untersuchungen* 43f.; Taylor, "Pre-History" 189sg.; 217).
- B** = Bernensis, Burgerbibliothek Bern, 433, saec. IX^{1/4}t 1,1,1-1,7,11 (fol. 2v-5r) saec. X/XI addita sunt, sed ante tempus, quo sunt Expleti codices conscripti (Marx 1894: 14sq. (*Descriptio*); Hafner, *Untersuchungen* 45-50). Antiquissimus ex antiquis Rhetoricam ad C. Herennium tradentibus codicibus esse uidetur, quem saec. X-XI P. R. Taylor 1993: 194, scripserit esse exaratum. Ex Integrorum codicorum parentibus R. Taylor 1993: 196sq. putat, correctiones et uarias lectiones esse in **B** aut in eius parentem per contaminationem inductas, quod, quamquam non multis exemplis probatur, excludi, mea sententia, non potest; P. Ruth Taylor, "Pre-History" 192-197;.
- P** = Parisinus Latinus, Bibliotheque Nationale, Paris, 7714, saec. IX^{3/4} (Marx, *Prolegomena* 12-14 (*Descriptio*); P. Ruth Taylor, "Pre-History" 190-192; Hafner, *Untersuchungen* 44f. (*Descriptio*)).
- II** = Parisinus Latinus, Bibliotheque Nationale, Paris, 7231, saec. IX^{3/4}(Marx, *Prolegomena* 19 (*Descriptio*) ; R. H. Rouse, *Texts and Transmission* 110; Hafner, *Untersuchungen* 75).
- C** = Corbeiensis, nunc Sanpetroburgensis, F.V. Lat. Class. 8, saec. IX^{3/4} (Hafner, *Untersuchungen* 50f.; P. Ruth Taylor, "Pre-History" 197-201(*Descriptio*); B. Huelsenbeck, 2013).

Codices Integri (I)

- A** = Bambergensis Class. 29 (M. V. 3); saec. X^{3/3}-1000 (Hafner, *Untersuchungen* 51-53 (*Descriptio*)). Scriptura Carolina.
- F** = Frisingensis, Clm 6403, Bayerische Staatsbibliothek München, saec. X^{ex} (Spallone, "La trasmissione" 164; Hafner, *Untersuchungen* 54-56 (*Descriptio*)).
- V** = Vadianus 313, St. Gallen (Stadtbibliothek), saec. XI^{med} (Hafner, *Untersuchungen* 56-66 (*Descriptio*)). A. Stückelberger, "Der Codex Vadianus 313" 217-228.
- L** = Mediceus Laurentianus, Firenze, Biblioteca Mediceo-Laurenziana, plut. 51. 10, saec. XI^{ex} Cf. M. Spallone, "La trasmissione" 167-190; Ead., "Testo e dintorni" 115; A. Hafner, *Untersuchungen* 66-74 (*Descriptio*). Hunc codicem cognouit F. Marx, *Prolegomena* 36, ex tab. XVII Aemilii Chatelainii *Paléographie des classiques latins* 7, sed indignum maiore consideratione iudicauit. Scriptura Beneventana.

- Z** = Londinensis BL Add. MS. 11916, saec. XI^{ex}/XIIⁱⁿ (M. Spallone, "La trasmissione" 169sg. (*Descriptio*); Hafner, *Untersuchungen* 76).
- c** = Vaticanus Chigianus H. VI. 179 (Pellegrin I p. 331 (*Descriptio*), Taylor, "Codices Integri" 126sq.: hunc codicem Taylor signat littera X; et cf. etiam Spallone, 1997: 114), saec. XI^{2/2}.
- O** = Ottobonianus Latinus 1190, saec. XII (Pellegrin I, pp. 470sq. (*Descriptio*)). Cum **c** saepius facit.
- o** = Ottobonianus Latinus 1864, saec. XII (Pellegrin I, p. 694sq., (*Descriptio*)).
- π** = Palatinus Latinus 1522, saec. XI (Pellegrin II,2 p. 175 (*Descriptio*); Taylor, "Codices Integri" 125sq.).
- B^s** = Bononiensis Bibl. Univ. Bonon. 2516, saec. XIII (Fratrī perperam ad saec. XV adscriptis, sed uetustior esse uidetur, *Descriptio* in *Prolegomenois*, ad p. 117).
- B^u** = Bononiensis Bibl. Univ. Bonon. 2461, saec. XIV^{med}, fortasse annis 1351–1353 (*Descriptio*, in *Prolegomenois*, ad p. 117).

Codices E

- a** = Ambrosianus, Milano, Bibl. Ambrosiana, M 58 sup., saec. XI (Achard, p. LXI et LXVII sq., (*Descriptio quaedam*)).
- α** = Albinensis, Lamballe, Bibl. Munic. 3, saec. XII^{des}. (B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latins*, Tome I, p. 194 (*Descriptio*)).
- b** = Bambergensis, Bamberg Class. 423 (M. V. 8), saec. XII^{ex} (J. Simon, 1864 : 17); Marx 1894 : 34–35 (*Descriptio*); Hafner, *Untersuchungen* 74).
- β** = Bernensis, Bern Burgerbibliothek 469-II (saec. XI^{ex}) (B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latins*, Tome I, pp. 152sg. (*Descriptio*)).
- f** = Mediceus Laurentianus, Firenze, Biblioteca Mediceo-Laurenziana, plut. 50. 10, saec. XI^{ex}/XIIⁱⁿ (Hafner, *Untersuchungen* 76; Ruth Taylor, 1993:115 n. 11; Spallone, 1997: 143 (*Descriptio*); litteris Beneuentanis.
- l** = Leidensis Gronovianus 22, saec. XII (J. Geel, *Catalogus librorum manuscriptorum Bibliothecae Lugduno Batavae*, p. 127 (*Descriptio*); Marx 1894: 35; Hafner, *Untersuchungen* 74; Achard, LXVIII).
- d** = Darmstadiensis 2283, saec. XII² (Marx 1894: 35sg. (*Descriptio*); Hafner, *Untersuchungen* 74).
- k** = Codoniensis, Kobenhavn, Kgl. Bibliotek, Gl. kgl. S. 1999 4°, saec. XI^{ex}. Achard (p. LXVIII) uocauit hunc codicem Codoniensem c, et idcirco a me k (k[odoniensis] appellatus est, littera k adhibita, ut a c (Vaticanus Chigianus H. VI. 179) distingueretur. P. Ruth Taylor, "The Expleti-Recension" 164 (*Descriptio*), signat littera c.
- v** = Leid. Vossianus (Lat. no. 103, K. A. De Meyier, *Codices Vossiani Latini* 2, pp. 231sg. (*Descriptio*); Marx², p. XV; Hafner, *Untersuchungen* 76), saec. XII/XIII.

- (O) = Ottobonianus Latinus 1190, saec. XII. (Pellegrin I, pp. 470sq. *Descriptio*). Cum **c** saepius facit.
- (o) = Ottobonianus Latinus 1864, saec. XII (Pellegrin I, p. 694sq. (*Descriptio*)).
- n** = Parisinus Latinus 7744 (Kayser XXVIII; P. Ruth Taylor, "The Expleti-Recension" 165sg., signat littera n (*Descriptio*)), saec. XII^{2/2}.
- h** = Bibliotheca Mediceo-Laurenziana, plut. 50. 28, cf. P. Ruth Taylor, "The Expleti-Recension", p. 170 (*Descriptio*), quae nonnulla addidit, quae dignissima sunt, quae noscamus: "Prof. A. C. de la Mare has kindly informed me that this manuscript is the work of the Florentine scribe Ser Giovanni di Piero da Stia and that it may be dated to the period 1450–1460⁵⁴. [⁵⁴ Letter dated 17. 8. 90. Prof. de la Mare allows for the possibility that **h** may have been copied a *little* earlier than 1450] The manuscript measuring 230x158 mm contains the Ad Herennium alone on 90 folia".
- h̄** = Hugonensis, Durham, Dean and Chapter Library, C. IV. 5 (inc. saec. XII, Achard, p. LXVII, *Descriptio quaedam*).
- U** = Upsaliensis C928, signauit U (B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latins*, Tome I, p. 290 (*Descriptio*); P. Ruth Taylor, "The Expleti-Recension", p. 168sq.), saec. XII^{ex}. Nunnula folia a 2,20,32 *ad omnes confertur* usque ad 3,2,3 *et alias huiusmodi res. Dolus consumitur* ceciderunt.
- p** = Palatinus Latinus, 1756 a. 1464 (Pellegrin II,2, p. 406sq. (*Descriptio*) palinps.; A. Zago, *Pompei Commentum in Artis Donati*, Tomo I, CVIII, bonam descriptionem inuenias in ea, quae uocatur Bibliotheca Lareshamensis digital: <http://www.bibliotheca-lareshamensis-digital.de/>
- u** = Vaticanus Urbinas 1144, saec. XII–XIII (Pellegrin, II,2 p. 653, (*Descriptio*)).
- g** = Vaticanus Borgh. 84, saec. XII^{2/2} (Pellegrin, I p. 223 (*Descriptio*)).
- r** = Bruxellensis, Bibliothèque royale 15559 saec. XII^{2/2} (P. R. Taylor, "The Expleti-Recension", pp. 167sg. (*Descriptio*)).

Insequentes libros raro adhibui, cumque nullum signum inuenissem, quo Expletos putarem, Integros iudicaui. Parisinos iisdem siglis notaui, quibus Kayser.

- P⁸** = Parisinus Latinus 7740 (Kayser XXVIII; B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latin*, Tome I, p. 266 (*Descriptio*))
- P⁹** = Parisinus Latinus 7741 (Kayser XXVIII; B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latin*, Tome I, pp. 266sg. (*Descriptio*))
- P¹¹** = Parisinus Latinus 7743 (Kayser, XXVIII; cf. supra *Prolegomena*, p. 116 (*Descriptio*))
- w⁹** = Vindobonensis Palatinus 276 (B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latin*, Tome I, p. 313 (*Descriptio*))
- w¹⁰** = Vindobonensis Palatinus 240 (B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latin*, Tome I, p. 312 (*Descriptio*))

Acutis uncis < > ea tantum inclusi, quae recentiores nostrae aetatis docti seu inuenissent seu immutassent, cum Marx ea multa incluserit, quae non ab Auctore ipso ad C. Herennium, sed a posterioribus addita esse uiderentur, et recentioribus

codicibus tradita essent. Nullo modo enim excludi potuit, haec ipso ab Auctore uenisse et ad recentiores codices, ignota quadam uia, peruenisse. Quodsi inclinatae litterae acutis uncis erunt inclusae, ut IV 17,24 ‘Difficile est primum *quidque. Difficile est eum quidem*’ uirtutem reuereri, qui eqs”, eas esse a recentioribus excogitatas, apertum admodum erit.

Quadratis uncis [] ea tantum inclusi, quae expungenda uiderentur.

Sed multo parcius quam Marx his signis usus sum.

Quo denique clarius ostenderem, quae lectiones singulis in codicibus inuenirentur, nonnullis codicum litteris longam per seriem dispositis, apertis et clausis uncis et suo cuiusque codicis repetito signo, ea omnia rettuli, quae singulis in codicibus uidissem, si differentia essent, signa ipsa et formas nonnusquam et differentias, imitatus, ut potui, quas usquequaque inuenissem (e.g. **IV 12,17 unum quodque P²B²ΠCLAZO**(*unū qđ AZO*)**FVfcao**(*unū qq; fcao*)**bdlgπ**(*unū qđq gπ*)**B^u**(*unū qđq3 B^u*)**nhUr**). Nullam differentiam neglexi, cum statuissem apparatus uere positium proferre.

* Id stellula significatum addam, me amplius disputasse, cur, eam lectionem, quam accepi, acceperim, reiecerim alias quasdam, cuius disputationis argumenta infra continuo reperias.

[M. TULLI CICERONIS
AD HERENNIUM
LIBRI QUATTUOR]

LIBER PRIMUS

5 1. Etsi [in] negotiis familiaribus inpediti uix satis otium studio suppeditare 1
possumus et id ipsum, quod datur otii, libentius in philosophia consumere
consequemur, tamen tua nos, Gai Herenni, uoluntas commouit, ut de ratione
dicendi conscriberemus, ne aut tua causa noluisse aut fugisse nos laborem
putares. Et eo studiosius hoc negotium suscepimus, quod te non sine causa uelle
10 cognoscere rhetoricam intellegebamus: non enim in se parum fructus habet
copia dicendi et commoditas orationis, si recta intellegentia et definita animi
moderatione gubernetur. Quas ob res illa, quae Graeci scriptores inanis adrogan-
tiae causa sibi adsumpserunt, reliquimus. Nam illi, ne parum multa scisse
uiderentur, ea conquisierunt, quae nihil adtinebant, ut ars difficilior cognitu
15 putaretur, nos autem ea, quae uidebantur ad rationem dicendi pertinere, sumpsi-
mus. Non enim spe quaestus aut gloria commoti uenimus ad scribendum,
quemadmodum ceteri, sed ut industria nostra tuae morem geramus uoluntati.
Nunc, ne nimium longa sumatur oratio, de re dicere incipiemus, [sed] si te unum
illud monuerimus, artem sine adsiduitate dicendi non multum iuuare, ut intelle-
20 gas hanc rationem praeceptionis ad exercitationem adcommodari oportere.

2. Oratoris officium est de iis rebus posse dicere, quae res ad usum ciuilem 2
moribus et legibus constitutae sunt, cum adsensione auditorum, quoad eius fieri
poterit.

Tria genera sunt causarum, quae recipere debet orator: demonstratiuum, delibe-
25 ratium, iudiciale.

Demonstratiuum est, quod tribuitur in alicuius certae personae laudem uel
uituperationem.

Deliberatiuum est in consultatione, quod habet in se suasionem et dissuasionem.

Iudiciale est, quod positum est in controuersia et quod habet accusationem aut
30 petitionem cum defensione.

Nunc quas res oratorem habere oporteat, docebimus, deinde quo modo has
causas tractari conueniat, ostendemus.

3. Oportet igitur esse in oratore inuentionem, dispositionem, elocutionem,
memoriam, pronuntiationem.

13 *reliquimus* B²AFLcogpπ Kayser Marx Caplan Adamik Achard Nüsslein Müller *relinquimus*
VfbdlOupnhUr Calboli '69 *relinquamus* B⁸B^u deest Z (incipit enim 1,3,4 *Confutatio est contrario-*
rum locorum dissolutio, fl. 41u)

Inuentio est excogitatio rerum uerarum aut ueri similium, quae causam probabilem reddant.

Dispositio est ordo et distributio rerum, quae demonstrat, quid quibus locis sit conlocandum.

Elocutio est idoneorum uerborum et sententiarum ad inuentionem adcommoda- 5
tio.

Memoria est firma animi rerum et uerborum et dispositionis perceptio.

Pronuntiatio est uocis, uultus, gestus moderatio cum uenustate.

Haec omnia tribus rebus adsequi poterimus: arte, imitatione, exercitatione.

Ars est praeceptio, quae dat certam uiam rationemque dicendi. 10

Imitatio est, qua inpellimur cum diligenti ratione ut aliquorum similes in dicendo ualeamus esse.

Exercitatio est adsiduus usus consuetudoque dicendi.

Quoniam ergo demonstratum est, quas causas oratorem recipere quasque res 15
habere conueniret, nunc, quemadmodum ad orationem possint officia oratoris
adcommo- 15
dari, dicendum uidetur.

3 4. INVENTIO in sex partes orationis consumitur: in exordium, narrationem,
diuisionem, confirmationem, confutationem, conclusionem.

Exordium est principium orationis, per quod animus auditoris uel iudicis consti-
tuitur et apparatus ad audiendum. 20

Narratio est rerum gestarum aut proinde ut gestarum expositio.

14 ergo bloOhUr Marx Calboli '69 Adamik Müller igitur fduB^un om. B²AFVLcπB^s Kayser Achard Hafner Nüßlein || 15 conueniret B²AFVLfcdπOnr Kayser Achard conueniat blohU Marx Calboli '69 Adamik Müller || 15-16 possint...adcommo-] ad orationem(oracionem c orationis partes o) possint officia (officia possint d) oratoris accommodari VLf (adāē f)coOdh U(possint ad orationem(ad rationem U) oratoris officia accommodari hU) Kayser Achard possit oratio ad rationem oratoris officii accommodari Inr Marx Calboli '69 Adamik Müller ad rationem possint (possi//t A) officia oratoris (orationis B²Fπ) accommodari B²AFπ Hafner Nüßlein (in F s.s.m₁ uel oratoris) Hafner

* Locum attente Hafner, pp. 199-202, considerauit, qui ergo et igitur, quae ex ^o et ⁱ exstiterint, ut additamentum huius tantum traditionis (M), accipiendum esse negauit. Dein coniunctium imperfecti posse cum demonstratum est conuenire (cf. Cic. inu. 2,11 et quia, quo pacto tractari conueniret argumentationes, in libro primo non indiligenter expositum est eqs.). Insequentia uero melius esse codicibus B²AF (quibus addidimus π) tradita, quae cum I 3,4 ut eas (sc. partes orationis) ad inuentionis rationem accommodaremus bene concinant. At rationem tantum sine genetium rei, cuius sit ratio adhibenda, recipere durum mihi esse uidetur, nec quicquam his uerbis significari (ad rationem? cuius rei ad rationem?), neque lectione, quam VLfoO praebent, oppositionem inter orationem et partes orationis institui, ut Kayser (Notae p. 218) explicauit, sed Hafner (p. 201) non accepit. Itaque Achard sequendum et totum locum sic legendum puto: Quoniam ergo demonstratum est, quas causas oratorem recipere quasque res habere conueniret, nunc, quemadmodum ad orationem possint officia oratoris adcommo- 15
dari, dicendum uidetur.

19-20 animus auditoris uel iudicis constituitur et apparatus AVB²P²LFfoOB^shU(constituitur uel apparatus P²foOB^shU)cπB^unr Achard Nüßlein et apparatus om. du Kayser Marx Caplan Calboli '69 Achard Müller

Diuisio est, per quam aperimus, quid conueniat, quid in controuersia sit, et per quam exponimus, quibus de rebus simus acturi.

Confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum adseueratione.

Confutatio est contrariorum locorum dissolutio.

5 Conclusio est artificiosus orationis terminus.

Nunc, quoniam una cum oratoris officiis, quo res cognitu facilius esset, producti sumus, ut de orationis partibus loqueremur et eas ad inuentionis rationem adcommodaremus, de exordio primum dicendum uidetur.

10 5. Causa posita, quo commodius exordiri possimus, genus causae est considerandum. Genera causarum sunt quattuor: honestum, turpe, dubium, humile.

Honestum causae genus putatur, cum aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum uidetur, aut oppugnamus, quod ab omnibus uidetur oppugnari debere ut pro uiro forti contra parricidam.

15 Turpe genus intellegitur, cum aut honesta res oppugnatur aut defenditur turpis.

Dubium genus est, cum habet in se causa et honestatis et turpitudinis partem.

Humile genus est, cum contempta res adfertur.

20 6. Cum haec ita sint, conueniet exordiorum rationem ad causae genus adcommodari. Exordiorum duo sunt genera: principium, quod Graece proemium appellatur, et insinuatio, quae epodos nominatur.

Principium est, cum statim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. Id ita sumitur, ut attentos, ut dociles, ut beniuolos auditores habere possimus.

25 Si genus causae dubium habebimus, a beniuolentia principium constituemus, ne quid illa turpitudinis pars nobis obesse possit.

Sin humile genus erit causae, faciemus attentos.

Sin turpe causae genus erit, insinuatione utendum est, de qua posterius dicemus, nisi quid nacti erimus, qua re aduersarios criminando beniuolentiam captare possimus.

30 Sin honestum genus causae erit, licebit recte uel uti uel non uti principio. Si uti uolumus, aut id oportebit ostendere, qua re causa sit honesta, aut breuiter, quibus de rebus simus dicturi, exponere. Sin principio uti nolemus, ab lege, ab scriptura, aut ab aliquo nostrae causae adiumento principium capere oportebit.

13 *oppugnamus* B²VFAfcZoOB⁴B^s(*opugnamus* B^s)πunh Kayser *obpugnamus* pb Achard Nüßlein *oppugnabimus* Ir Caplan *obpugnabimus* Marx Calboli '69 Adamik Müller deest L *uituperabimus* *opugnando* U | *oppugnari* B²VFAfcZoOπuldnhUr Kayser Caplan Calboli '69 *obpugnari* L(ex *oppugnari* L)pb Marx Adamik Achard Nüßlein Müller || 15 *oppugnatur* B²VFAfcZoOπuld Kayser Caplan Calboli '69 Achard Nüßlein *obpugnatur* Lpb Marx Adamik Müller

* Hic quoque Marx ueterem usum conatus est restituere, nouam rationem equidem putauit ab Auctore adhibitam esse. Sed libris manuscriptis multis ego niti potui, Marx haud multo plus coniectura. Praeterea *opponamus* cum *defendimus* concinit, *oppugnabimus* non concinit.

7. Quoniam igitur docilem, beniuolum, attentum auditorem habere uolumus, quo modo quidque effici possit, aperiemus. Dociles auditores habere poterimus, si summam causae breuiter exponemus et si attentos eos faciemus; nam docilis est, qui attente uult audire.

Attentos habebimus, si pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, inusitatis uerba 5 facturos aut de iis, quae ad rem p. pertineant, aut ad eos ipsos, qui audient, aut ad deorum immortalium religionem; et si rogabimus, ut attente audiant; et si numero exponemus res, quibus de rebus dicturi sumus.

8. Beniuolos auditores facere quattuor modis poterimus: ab nostra, ab aduersariorum nostrorum, ab auditorum persona et ab rebus ipsis. 10

5 Ab nostra persona beniuolentiam contrahemus, si nostrum officium sine adrogantia laudabimus, atque in rem p. quales fuerimus aut in parentes aut in amicos aut in eos, qui audient, aliquid referemus, dum haec omnia ad eam ipsam rem, qua de agitur, sint adcommodata. Item si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem; et si orabimus, ut nobis sint auxilio et simul 15 ostendemus nos in aliis noluisse spem habere.

Ab aduersariorum persona beniuolentia captabitur, si eos in odium, in inuidiam, in contemptionem adducemus.

In odium rapiemus, si quid eorum spurce, superbe, perfidiose, crudeliter, confidenter, malitiose, flagitiose factum proferemus. 20

In inuidiam trahemus, si uim, si potentiam, si factionem, diuitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, hospitium, sodalitatem, adfinitates aduersariorum proferemus, et his adiumentis magis quam ueritati eos confidere aperiemus.

In contemptionem adducemus, si inertiam, ignauiam, desidiam, luxuriam aduersariorum proferemus. 25

Ab auditorum persona beniuolentia colligetur, si res eorum fortiter, sapienter, mansuete, magnifice iudicatas proferemus; et si, quae de iis existimatio, quae iudicii expectatio sit, aperiemus.

Ab rebus ipsis beniuolum efficiemus auditorem, si nostram causam laudando extollemus, aduersariorum per contemptionem deprimemus. 30

9 poterimus LVFAB²ZcπB^u Achard Nüßlein Müller possumus P²βfoOB^snhUr Kayser Marx Caplan Calboli '69 Adamik

* Lectionem poterimus accepimus, quod hoc loco Auctor futurum semper adhibuit. Hafner (pp. 202sq.) de hoc loco a uerbis, quae sunt ab nostra, ab aduersariorum eqs., egit et errorem in altero Integrorum ramo (β²) natum esse contendit, quo sint praepositiones omissae. Dein quomodo error natus sit, ostendere conatus est. Equidem subtiliora et minus certa omittere malui.

13 audient LAB²ZcOB^uU Kayser Achard Nüßlein audiunt P²αkhfπB^snhr Marx Caplan Calboli '69 Adamik Müller | ante aliquid lacunam posuerunt Marx Caplan. Lacunam ita expleuit Brakman, p. 329: unum aliquid ex IV 41,53 unum aliquid || 26 colligetur LVAhf(s.lin. f)Z Achard Nüßlein colligitur FαβkhP²B²cn(colligēt n)hr Marx Caplan Calboli '69 Adamik Müller captabitur B^uB^s beniuolentiam captabim⁹U

*Audi auctorem (popularis partis?) laudibus iudices extollemem.

9. Deinceps de insinuatione aperendum est.

6

Tria sunt tempora, quibus principio uti non possumus, quae diligenter sunt consideranda: aut cum turpem causam habemus, hoc est, cum ipsa res animum auditoris a nobis alienat; aut cum animus auditoris persuasus esse uidetur ab iis, qui ante contra dixerunt; aut cum defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt.

5 Si causa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: rem, non hominem spectari oportere; non placere nobis ipsis, quae facta dicantur ab aduersariis, et esse indigna aut nefaria; deinde cum diu rem auxerimus, nihil simile a nobis factum ostendemus; aut aliquorum iudicium de simili causa aut de eadem aut de minore aut de maiore proferemus, deinde ad nostram causam pedetemptim accedemus et similitudinem conferemus. Item si negabimus nos de aduersariis aut de aliqua re dicturos, et tamen occulte dicemus interiectione uerborum.

10 **10.** Si persuasus auditor fuerit, id est, si oratio aduersariorum fecerit fidem auditoribus – neque enim non facile scire poterimus, quoniam non sumus nescii, quibus rebus fides fieri soleat – ergo si fidem factam putabimus, his nos rebus insinuabimus ad causam: de eo, quod aduersarii firmissimum sibi adiumentum putarint, primum nos dicturos pollicebimur; ab aduersarii dicto exordiemur, et ab eo maxime, quod ille nuperrime dixerit; dubitatione utemur quid potissimum dicamus aut cui loco primum respondeamus, cum admiratione.

6–7 *rem non hominem* **HP²ILVF¹** Kayser *rem hominem* **P¹C** Marx Müller *rem non hominem hominem non rem* **F²bdIB^snU**(*rem non hominem aut hominem non rem* **B^snU**)**h**(priorem *rem* omisit **h**)**r** Hoffman, *De uer. tr.*, p. 14, Calboli '69 Achard Adamik Nüßlein *hominem, non rem* Caplan (quod totum absurdum apparet) *hominem non rem aut rem non hominem* **B^u**. Cf. Cic. *inu.* 1,24 *aut pro re hominem aut pro homine rem*

* Verba, quae sunt, *hominem non rem*, ab eo addita esse uidentur, qui Cornifici locum Ciceronem adhibens corrigere uoluerit. Nam, ut Antonius Hafner nos admonuit, correcti sunt nonnumquam codices recentiores familiae **β** (nostro signo **I**), Cicerone comparato. Ita nonnulla de Ciceronis libris, qui sunt *De inuentione*, in *Rhetoricam ad Herennium* uenisse. Quod autem ad hunc pertinet locum, apparet male Ciceronem adhibitum esse. Nam Cicero primo scribit siue hominem siue rem ita esse tractandam, ut *ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animus traducatur*, dein de rebus dicendum esse nobis ipsis non placere, quae facta sint. At prior Ciceronis pars deest in *Rhet. Her.* Quare de rebus (uel de re) tantum, non de homine dicendum uidetur.

14 *si persuasus auditor fuerit id est si* **P²LAFVfZcoOpuzB^uB^sbldnhU**(*fuerit auditor* **U**) Kayser Marx Calboli '69 Adamik Achard Nüßlein Müller *si persuasus auditor si* **H**(*auditor* ^{sit} *si* **H**)**P**(*auditor id est si* **P¹**) **B²ΠC** Caplan *si persuasus ē auditor* **r**

Si defessi erint audiendo, ab aliqua re, quae risum mouere possit, ab apologo, fabula ueri simili, imitatione deprauata, inuersione, ambiguo, suspicione, inrisione, stultitia, exuperatione, collectione, litterarum mutatione, praeter expectationem, similitudine, nouitate, historia, uersu, ab alicuius interpellatione

2 *imitatione deprauata* IU Marx Caplan Calboli '69 Adamik Achard Müller *imitatione deprauata u* *immutatione deprauatione* PΠB²CAF(*inmutatione* B²CF)L(*depuatione* L)VZ²cB⁵(*imitatione* B⁵)B^unhr Kayser Nüßlein *imitatione deprauat* H *immutacionem deprauacionem* Z¹ *immutatione deprauata* fbd | *ambiguo* fcB⁵B^u(in marg. cB^u) Marx Caplan Calboli '69 Adamik Achard Nüßlein Müller om. Π(sed pro *suspicione* Π posuit a *suspicione*)FZ *ab ambiguo* Lbldnhr *ex ambiguo* uU *abici a* H *abiectione* B²VB⁵B^u Kayser || 3 *exuperatione* fblduB⁵B^unh(*exuberatione* h)Ur Marx Caplan Calboli '69 Adamik Achard Nüßlein Müller (*exsuperatione* Caplan Achard Nüßlein Müller) om. Π *superatione* HB²(in margine B²)CAFVLZc(*supe ratione* c) *separatione* P *superlacione* Kayser

* Hunc quoque locum attentius Hafner (pp. 203–211) considerauit, qui ex eo profectus est, in archetypo Θ scriptum esse: *immutatione deprauatione*. Memorauit autem Codice H bonam lectionem *imitatione deprauat(a)* paene perfecte traditam esse, quod ita explicatum esse a Friderico Marx: Herbipolitanum alia uia ex Subarchetypo M ductum esse et bonam lectionem prope perfectam seruasse, codices PBC ab alio eiusdem traditionis ramo manasse, ubi locus iam corruptus esset. Aliter rem explicat Hafner (p. 205): in codice H *immutata deprauatione* scriptum esse, super additam glossam *imitatione deprauata*, quae cum Cic. *de orat.* 2,242, concineret, ubi risus diceretur *imitatione deprauata* excitari posse. Ita esse lectionem, quae est *imitatione deprauata*, ex Medii Aeuī interpolatione natam eoque in libro natam, quem inter α et H existitisse uerisimile sit. Quae omnia bene excogitata esse mihi quidem uidentur, sed nullo modo probari posse et ita probari, ut nulla dubitatio existere possit. Melius est igitur a simili Ciceronis loco non recedere (Cic. *de orat.* 2,242 *in re est item ridiculum, quod ex quadam deprauata imitatione sumi solet*) et *imitatione deprauata* ueram iudicare lectionem, cum idem Cornificius atque Cicero scribere potuerit. Quod ipse Hafner in sequentibus (pp. 208sq.) paginis quodammodo confirmauit, dum probare conatur lectionem, quae est *imitatione deprauata*, bonam esse.

3–4 *praeter expectationem* Plasberg, *RhM* 53, 1898, 78 Marx² Bornecque Caplan Calboli '69 Adamik Achard Nüßlein Müller *praeterea expectatione* HΠPB²CLVAFZfcρυπoOblB^uBⁿ-hUr(*prēi expectatione* r) Kayser Marx¹ || 4–163,1 *uersu ab alicuius interpellatione aut arrisione. Si promiserimus aliter ac parati fuerimus nos esse dicturos* Lf(*aut alicuius* Lf *arrisione et si* f)c(*aut alicuius interpellacione aut arrisione* c)bldo(*aut ab do* Et si *promiserimus* o)gO(*aut alicuius, uerba quae sunt aut arrisione ... esse dicturos* perierunt, fenestra facta O)uph(*uersu aut ab* ph)B⁵B^u(*uersu aut alicuius* B⁵ *uersu aut ab alicuius* B^u)nUr Marx Caplan Calboli '69 Adamik Achard Nüßlein Müller (*adrisione* edd.) *uersu aliter ac parati fuerimus nos esse dicturos ab alicuius interpellatione aut adrisione* HPB(B²)ΠC *uersu. si promiserimus aliter ac parati fuerimus nos esse dicturos aut alicuius interpellatione aut arrisione* AFVZπ(*arrisione* π) *uersu alicuius interpellatione aut adrisione; aliter ac parati fuerimus, nos esse dicturos* Kayser.

* Hafner, pp. 247sq., putat a doctis Mediae Aetatis lacunam expletam esse, sed male, cum *promittendi* notio, quae semel in hoc opere occurrat, pro *pollicendi* (*Lexicon*, pp. 1455sq.; 1488) adhibita sit. Primo enim *exordiendi* uerbum cecidisse, dein si *promiserimus* in β additum esse, sed *ante aliter ac [...]* dicturos, postea *ab alicuius* (α) in *aut alicuius* (β) immutatum. Verisimilia Hafner proponit, praesertim quod ad *exordiendi* spectat notionem, quam cecidisse suspicatur. Antecedentia enim si uerba consideraris, similia inueneris, quae, cum ambo loci ad *insinuationem* pertineant, consentaneum est similia fuisse: *Si persuasus auditor fuerit [...]* nos *insinuabimus ad causam [...]* *ab aduersari dicto exordiemur* eqs. Ab hoc autem *exordiemur* pendere

aut adrisione; si promiserimus aliter ac parati fuerimus, nos esse dicturos, nos non eodem modo, ut ceteri soleant, uerba facturos; quid alii soleant, quid nos facturi sumus, breuiter exponemus.

11. Inter insinuationem et principium hoc interest. Principium eius modi 7
5 debet esse, ut statim apertis rationibus, quibus praescripsimus, aut beniuolum aut attentum aut docilem faciamus auditorem: at insinuatio eiusmodi debet esse, ut occulte per dissimulationem eadem illa omnia conficiamus, ut ad eandem commoditatem in dicendi opere uenire possimus. Verum hae tres utilitates tametsi in tota oratione sunt conparandae, hoc est, ut auditores sese perpetuo
10 nobis adtentos, dociles, beniuolos praebent, tamen id per exordium causae maxime conparandum est. Nunc, ne quando uitioso exordio utamur, quae uitia uitanda sint, docebo.

Exordienda causa seruandum est, ut lenis sit sermo et usitata uerborum consuetudo, ut non adparata uideatur oratio esse.

15 Vitiosum exordium est, quod in plures causas potest adcommodari, quod uulgare dicitur.

Item uitiosum est, quo nihilo minus aduersarius potest uti, quod commune appellatur; item illud, quo aduersarius ex contrario poterit uti.

Item uitiosum est, quod nimium apparate compositum est aut nimium longum
20 est; et quod non ex ipsa causa natum uideatur, ut proprie cohaereat cum narratione; et quod neque beniuolum neque docilem neque adtentum facit auditorem.

De exordio satis erit dictum: deinceps ad narrationem transeamus.

8

12. Narrationum tria sunt genera.

Unum est, cum exponimus rem gestam et unum quidque trahimus ad utilitatem
25 nostram uincendi causa, quod pertinet ad eas causas, de quibus iudicium futurum est.

insequentia omnia, quod mihi in mentem uenit – *utendi* praeterea notione interposita (*dubitatione utemur, quid potissimum dicamus*), – nimis durum fuisse apparet, sed quodammodo confirmat recte Hafner sensisse. At, cum uerbo temporali opus sit, ex quo enuntiatio pendeat infinitiua, quamquam fieri potuit, ut uerba *si promiserimus* a doctis uiris aetatis Mediae adderentur, nihil nimis dubitationi tribuere uolui et haec uerba recepi.

8 *hae tres* ΠCP²B²LAFVZcfOnh (*he tres fOnh*)r (*he tres r*)U (*hē tres U*)obldp (*haec tres p*)uπ Kayser Marx¹ Golla 64 Caplan Calboli '69 Adamik Trillitzsch Achard Nüßlein Müller *haec tres* Marx² Bornecque *hae res* HPB Kayser (qui addidit 'diductis litteris' *utilitates* ita, ut fieret: *hae res utilitates*) | 19 *apparate* CAFLfcOπB^s Hafner Nüßlein *apparatis uerbis* VbldouB^u (*uerbis* in marg. B^u)n (*ūb n*)hUr Kayser (*adparatis* Kayser Müller) Marx¹ Caplan Trillitzsch Achard Müller *aparatis* H *apparatis* PBIIZ Marx² Calboli '69 Adamik

* Hafner, p. 211, contendit *apparate* legendum esse, cum uocabulum *uerbis* additum esse appareat, ut lectio *apparatis*, tamquam carens, expleretur, et nudum *apparatis* unum esse ex iis erroribus, qui in α irrepserint. Quamquam *apparate* non illud quidem frequenter occurrit (*Th.L.L.* II 270,80–83; Cic. *Att.* 13,52,1; Plin. *epist.* 1,15,4; Liu. 31,4,5), accipiendum credidi, cum ad Auctoris analogiam conuenire uideretur et pluribus quam Hafner putauit, codicibus utriusque familiae, et β et γ, nempe ut uera lectio, traditum esset.

Alterum genus est narrationis, quod intercurrit nonnumquam aut fidei aut criminationis aut transitionis aut alicuius apparationis causa.

Tertium genus est id, quod a causa ciuili remotum est, in quo tamen exerceri conuenit, quo commodius illas superiores narrationes in causis tractare possimus. 5

13. Eius narrationis duo sunt genera: unum quod in negotiis, alterum quod in personis positum est.

Id, quod in negotiorum expositione positum est, tres habet partes: fabulam, historiam, argumentum.

Fabula est, quae neque ueras neque ueri similes continet res, ut eae sunt, quae tragoedis traditae sunt. 10

Historia est gesta res, sed ab aetatis nostrae memoria remota.

Argumentum est ficta res, quae tamen fieri potuit, uelut argumenta comoediarum.

Illud genus narrationis, quod in personis positum est, debet habere sermonis festiuitatem animorum dissimilitudinem, grauitatem lenitatem, spem metum, suspicionem desiderium, dissimulationem, misericordiam rerum uarietates fortunae commutationem, insperatum incommodum subitam laetitiam iucundum exitum rerum. Verum haec in exercendo transigentur; illud, quod ad ueritatem pertinet, quomodo tractari conueniat, aperiemus. 15 20

9 14. Tres res conuenit habere narrationem, ut breuis, ut dilucida, ut ueri similis sit; quae quoniam fieri oportere scimus, quemadmodum faciamus, cognoscendum est.

Rem breuiter narrare poterimus, si inde incipiemus narrare, unde necesse erit; et si non ab ultimo initio repetere uolemus; et si summam, non particulatim 25 narrabimus; et si non ad extremum, sed usque eo, quo opus erit, persequemur; et si transitionibus nullis utemur, et si non deerrabimus ab eo, quod coeperimus exponere; et si exitus rerum ita ponemus, ut ante quoque quae facta sint, sciri possint, tametsi nos reticuerimus: quod genus, si dicam me ex prouincia redisse, profectum quoque in prouinciam intellegatur. 30

28 *sciri* BP²ΠCLAcOOp¹ugzrhUr Caplan Achard Nüßlein Müller *scire* HP¹p² Marx Bornecque Calboli '69 Adamik.

* Lectionem *sciri*, ut mihi quidem uidetur, difficiliorem, quamquam minus frequentatam, accipiendam putauit. Trillitzsch (p. 196) memorat *sciri* defensum esse a Kroll, *Philol.* 89,75 et Golla, pp. 85sq.

Et omnino non modo id, quod obest, sed etiam id, quod neque obest neque adiuuat, satius est praeterire. Et ne bis aut saepius idem dicamus, cauendum est; etiam ne quid, quod supra diximus, deinceps dicamus, hoc modo:

Athenis Megaram uesperu aduenit Simo:

5 Vbi aduenit Megaram, insidias fecit uirgini:

Insidias postquam fecit, uim in loco adtulit.

15. Rem dilucide narrabimus, si ut quicquid primum gestum erit, ita primum exponemus et rerum ac temporum ordinem conseruabimus, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri uidebuntur: hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne

3 *ne quid, quod supra diximus scripsi ne quid nobis semel id quod supra diximus* **HP** *ne id quod semel supra diximus* **LAFVabfenh** Achard Nüßlein (*supra* om. **LFAc**) *id quod supra diximus* **B**¹(*super supra* add. *semel* **B**²)**B**^u *ne id quod supra diximus semel o ne id quod supra semel diximus* **bdU**(*pro semel* sup.lin. *sepe* **U**)**r** *ne id quod supra diximus uel semel* **O** *ne quid, nouissime [id] quod [supra] diximus* Marx Caplan Calboli '69 Adamik *ne id, quod semel diximus* **ZpB**^s Kayser *ne quid, quod semel supra diximus* Müller (qui addit in apparatu: 'quid, quod semel supra scribend. censeo (sed nescio an supra delend. sit)) *ne* ¹/₂ *semel 'id quod supra diximus' C.*

* De hoc loco egit Hafner, p. 212, atque contendit, codicibus **B** et **C** consideratis, uocabulum *semel* ut glossam in **β**¹ inductum esse uideri, sed iam antiquitus hanc inrepsisse glossam in textum, uidelicet in **Θ**, cum etiam in **AFL** appareat. Item uerba, quae sunt *quid nobis semel*, extrinsecus in **Θ** uenisse. Eam igitur lectionem accipiendam, quam codex **B**¹ praebeat et ita locum legendum: *id quod supra diximus. Quod mihi quidem probatur, nisi quod audacius glossas Hafner excogitauit locosque inuenit, in quos inreperint. Quoniam autem locum corruptum certa ratione sanari censeo non posse et uocabulum, quod perbene ad hanc rem adcommo-daretur, nouissime, non codicibus traditum, sed a Marx ex nobis semel effectum est, Hafner sequi malui.*

7 *quicquid* **HPCΠAZβhcOπrB**^s Kayser Marx Caplan Calboli '69 Adamik *quidquid* **BVF** Müller *quidque* **LofnU**(*quidq; nU*) Achard *quicque* **B**^u Nüßlein *quodq; bh*(*ut quodq; erit primum, primum ita exponemus h*), cf. Cic. *inu.* 1,29 *ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur*, et G. Calboli, "Quisquis et quisque", pp. 109–122. || **9–166,1** *ne quid perturbate ne quid contorte ne quid ambigue* **AFV**(*ne quid noue* **V**² in marg. post *contorte* relatum)**L**(*neq; perturbate ne q contorte ne qd ambigue* **L**)**Zf**(*neqd noue neqd* in marg. relatum ante *ambigue* **f**)**c**(*nequid conturbate* **c**)**d**(*quod ambigue* **d**)**πun** Hafner Nüßlein *nequid perturbate, nequid noui* **HPBΠg**¹(*nequid contorte nequid noui* **g**²) Kayser(*noue* Kayser) *ne quid perturbate, ne quid ambigui* **C**(in marg. uel *noui* **C**) *ne quid perturbate ne quid contorte ne quid noue ne quid ambigue* **b**(*noue ex noui* **b**)**lpB**^s**hU** Achard Müller *nequid conturbate nequid contorte ne quid noui nequid ambigue* **o**(*ne quid noui* in marg. **o**) *nequid perturbate nequid contorte nequid ambigue ne quid noue*(*ex noui*) **OB**^u(*ambigue noueque* **B**^u)**r** *ne quid perturbate ne quid noue ne quid contorte*(*paene deletum*) *ne quid ambigue a ne quid perturbate ne quid contorte ne quid noue* Marx Caplan Calboli '69 Adamik

* Hafner, pp. 248–250, persuasum sibi esse scripsit, bonam traditionem codicibus **Integris**, **AFVld**, id est ramo **β** conseruatam esse, cum traditio **Mutilorum** **HPB** corrupta sit. Itaque ita esse legendum: *ne quid perturbate, ne quid contorte, ne quid ambigue dicamus. Verba ne quid noue ut explicationem uerborum ne quid contorte per glossam supra eadem uerba posita esse. Ciceronis autem conferendum locum, quo isdem prope uerbis exponitur, quid sit aperta narratio (litteris crassioribus eadem uerba notaui): Cic. inu. 1,29 **et rerum ac temporum ordo seruabitur, ut ita narretur, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri uidebuntur. hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur** ~ *Rhet. Her. I 9,15 **et rerum****

quid contorte, ne quid ambigue dicamus; ne quam in aliam rem transeamus; ne ab ultimo repetamus; ne longe persequamur; ne quid, quod ad rem pertineat, praetereamus; et si sequemur ea, quae de breuitate praecepta sunt; nam quo breuior, eo dilucidior et cognitu facilior narratio fiet.

16. Veri similis narratio erit, si, ut mos, ut opinio, ut natura postulat, 5 dicemus; si spatia temporum, personarum dignitates, consiliorum rationes, locorum opportunitates constabunt, ne refelli possit aut temporis parum fuisse, aut causam nullam, aut locum idoneum non fuisse, aut homines ipsos facere aut pati non potuisse. Si uera res erit, nihilominus haec omnia narrando conseruanda sunt; nam saepe ueritas, nisi haec seruata sint, fidem non potest facere: 10 sin erunt ficta, eo magis erunt conseruanda. De iis rebus caute confingendum est, quibus in rebus tabulae aut alicuius firma auctoritas uidebitur interfuisse. Adhuc quae dicta sunt arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quia de insinuationibus noua excogitauimus, quod eam soli nos praeter ceteros in tria tempora diuisimus, ut plane certam uiam et perspicuam rationem 15 exordiorum haberemus.

10 Nunc, quod reliquum est quoniam de rerum inuentione disputandum est, in quo singulare consumitur oratoris artificium dabimus operam, ut nihilominus industrie, quam rei utilitas postulabit, quaesisse uideamur * * * si prius pauca de diuisione causarum dixerimus.

20

ac temporum ordinem conseruabimus, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri uidebuntur: hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne quid contorte, ne quid ambigue dicamus. Fortasse Hafner suptilius rem tractauit, sed Ciceronis loco luce clarius probatur, non aliter posse locum constitui atque ille constituendum esse contendit.

3–4 *quo breuior eo dilucidior* CH²A²fOB^snhUr Kayser Marx¹ Achard Nüßlein *quo breuior dilucidior* H¹P²FA¹ Marx² Caplan Calboli '69 Adamik *quo breuior est eo dilucidior* LVZB^u *quod breuior dilucidior* BP¹

* Vix credibile est ab auctore, analogiae amatore, eo omissum esse.

19 post *uideamur* lacunam suspicatus est Marx² (1923), quam sic expleuit: *Sed facilius intellegentur quae de difficillima parte causae loquemur*, nullam autem Kayser Marx¹ Brakman, *Mus.* 31, 289, Caplan Calboli '69 Achard Nüßlein Müller

17. Causarum diuisio in duas partes distributa est. Primum post narrationem debemus aperire, quid nobis conueniat cum aduersariis, si ea, quae utilia nobis erunt, conuenient, quid in controuersia relinquatur, hoc modo:

1–2 *post narrationem* Zfc^pB^s *per narrationem* HPIIBCπ Marx Calboli '69 *per narratione* A¹F *perorata narratione* A²V²L^{abld}Oo (cum *perorata narratione* o)u¹B^unhUr Ammon Burs. 12; Kroll, *Philol.* 89,65 Caplan Adamik Achard Nüßlein Müller addubitat Trillitzsch *per participationem* V¹ *finita narratione* u² *re narrata* Kayser || 2–3 *utilia nobis erunt* HPIIBCAn (*utilia in marg.* A *utilia nobis erunt in marg.* n)FVLZfcadO (*erunt nobis* O)οπυρ^gB^sB^u (haec post *relictum sit* B^u)r Kayser Achard Nüßlein Müller *utilia sunt nobis* blhU Caplan Marx Calboli '69 Adamik 3 *controversia* Ld Kayser (controversia Kayser) Caplan Hafner *controuersiis* HPIIBCAFVZfca-blOοπυρ^gnh^r Marx Calboli '69 Adamik Achard Nüßlein Müller *relinquatur* AFVLZcaddOπ^gB^sAchard Nüßlein *relictum sit* fblpuB^unhU Marx Caplan Calboli '69 Adamik Müller *sit* r (*in controuersiis sit* HPr) om. HP (*in marg.* *relictum sit* P)BCg¹ Kayser. Hic est autem in HPIIBC-Vg¹ et apud Kayser ordo uerborum: *quid in controuersiis (controuersiis relinquatur* Vg²) *si ea quae utilia nobis erunt conuenient.*

* Bene Hafner, cum de hoc loco ageret, pp. 251sq., Ciceronis libros rhetoricos, qui sunt *De inuentione*, memorauit. Haec enim Cicero scripsit: Cic. *inu.* 1,31 *partitio inlustrem et perspiquam totam efficit orationem. partes eius duae sunt [...]. una pars est, quae, quid cum aduersariis conueniat et quid in controuersia relinquatur, ostendit.* Ordinem uerborum immutauit Kayser: *primum enim re narrata debemus aperire, quid nobis conueniat cum aduersariis, quid in controuersia sit; si ea, quae utilia nobis erunt, conuenient.* Hafner putat *relinquatur*, quod per **b** traditum sit, bonam esse lectionem. Ordinem uero immutatum, sed bonum rectumque codicibus **b** (AFLd) conseruatum. Lectionem *perorata narratione* ex Cic. *inu.* 1,31 ductam esse, sed male, nam *perorandi* notione conclusionem significatam totius orationis, non singulae partis iam a Kayser, 225, esse probatum. Attamen locum non deesse, ubi *perorandi* notio non ad totam spectet orationem, sed ad singulas orationis partes: Nep. *Epam.* 6,3 (*Th.L.L.* X,1, 1605,29sq.) *Epaminondas, cum de ceteris perorasset, postquam ad illa duo opprobria peruenit, admirari se dixit.* Verba autem *per narrationem* ex *post narrationem*, correptione male intellecta, uenisse, neque esse recipienda, cum huius locutionis (*per narrationem*) locus non indigeat, ut res tota intellegatur. Omnibus igitur consideratis, ita contendit Hafner esse legendum: *Primum [per narrationem] debemus aperire, quid nobis conueniat cum aduersariis, si ea quae utilia nobis erunt, conuenient, quid in controuersia relinquatur.* Equidem animaduerti hoc loco non de re agi parui momenti, sed de ea potius, de qua multum disputatum sit. Apparet enim nouam hanc doctrinam post Hermagoram in artem rhetoricam introductam esse, uel melius esse distinctam, cum ipse Hermagoras, Tacitum si audimus (*dial.* 19,3), multas diuisiones factitasse uideatur. At partitionem et propositionem ita adhibuit, ut suam quaeque orationis pars partitionem haberet. Neque Hermagoras, tam multis in partitionibus occupatus, ad eam partitionem peruenit, quae inter partes orationis post exordium et narrationem, sed ante argumenta et conclusionem poneretur (ita Lucia Montefusco, "La funzione della «partitio»" 73–76, quam sequor). Quae doctrina de partitione in *Rhet. Her.* I 10,17 et Cic. *inu.* 1,31 inuenitur, post Hermagoram inuenta est et tum adhibita, cum ipsa diuisio pars inuentionis habere coepta est et tamquam sua e domo in inuentionis aedes magnificas et sumptuosas migravit, quod post Hermagoram accidisse uidetur. Ex quo efficitur, ut, quod ad hunc locum pertinet, duae rationes maneant, unam ut nullam narrationis mentionem faciamus et *per/post narrationem*, ut Hafner, expungamus, alteram ut *post narrationem* legamus. Cum autem noua doctrina proponeretur, uerisimilius mihi esse uidetur, Auctorem uoluisse propositionis/diuisionis locum clarius significare, id est

‘Interfectam esse ab Oreste matrem conuenit mihi cum aduersariis: iure fecerit et licueritne facere, id est in controuersia.’

Item e contrario:

‘Agamemnonem esse a Clytemestra occisum confitentur; cum id ita sit, me ulcisci parentem negant oportuisse.’

5

Deinde, cum hoc fecerimus, distributione uti debemus. Ea diuiditur in duas partes: enumerationem et expositionem.

Enumerationem utemur, cum dicimus numero, quot de rebus dicturi sumus. Eam plus quam trium partium numero esse non oportet: nam et periculosum est, ne quando plus minusue dicamus; et suspicionem adfert auditori meditationis et artificii: quae res fidem abrogat orationi.

10

Expositio est, cum res, quibus de rebus dicturi sumus, exponimus breuiter et absolute.

18. Nunc ad confirmationem et confutationem transeamus. Tota spes uincendi ratioque persuadendi posita est in confirmatione et in confutatione. Nam cum adiumenta nostra exposuerimus contrariaque dissoluerimus, absolute nimirum munus oratorium confecerimus.

15

11 Vtrumque igitur facere poterimus, si constitutionem causae cognouerimus.

Causarum constitutiones alii quattuor fecerunt: noster doctor [Plotius?] tres putauit esse, non ut de illorum quicquam detraheret inuentione, sed ut ostende-

20

post narrationem partitionem/propositionem esse ponendam, quod Hermagorae ratione prorsus fieri non potuisset.

8 *eam* CFVLZfabldoOpguB^sB^unhUr edd. *ea* HBΠIAατ || 9 *numero esse* blog(*numero non oportet esse* g Kayser)uB^sB^unhU(*esse nūo* U, *super esse posito* am² 9*tinī*) Kayser Marx Caplan Calboli '69 Adamik Müller *numero* HΠI *numero contineri* Bfa *contineri numero* CU *numero uti* AFLZα(*sine numero* π) *numero constare* VdO Achard Nüßlein *esse uel contineri* p

* Hafner, p. 253, in α uerbum temporale defuisse contendit, sed *contineri* utrum ante an post *numero* positum sit, incertum esse. Ex *contineri* natam dein esse notionem *constandi*, quae tamen ‘ex et ablatiuum’ requireret. Neque minus uideri *uti* per coniecturam ex superiore *utemur* ductum esse. Videri igitur uerbum temporale iam in archetypo defuisse. Corruptum locum sanari non posse, quod probo, dum addo Marxianam lectionem immutare tanti non esse.

19 *noster doctor* HBΠIC(manu saec. X uerbis *noster doctor* s.s. uolcaedius plotus C)ALV(s.s. m₂ *Ermestes uel Ermetes* V)FZcOπfnUr(*Hermestes* sup.lin. fUr n̄ h̄mstes *doctor* n)l(s.s. m₂ *Ermestes uel Ermetes* l)b(in marg. m₁ *Ermestes* b) *noster doctor* o(*hermes* o)dpu (*hermestes* dp *hermestes* s.s. u)h(*noster doctor hermagora*^s h) Kayser Marx Caplan Calboli Adamik Achard Nüßlein *de* HBΠICLVZfcOolπpudnhUr om. A¹(de s.s. A²) om. b¹(de s.s. b²) Kayser Marx Caplan Calboli Adamik Achard Nüßlein || 20 *quicquam* BΠICALFVZfcOolbπpunhUr Kayser Marx Caplan Calboli Adamik Achard Nüßlein *quequam* P¹ *quiddam* H *quicquid* d *quidquam* Müller ac HP(a P¹ c s.s. P²)ΠICALFVZfcOolbdπpunU(et? U)r Kayser Marx Caplan Calboli Adamik Achard Nüßlein Müller a P¹B et h

* F. Marx, *Prolegomena* 17 et 150, putat hoc nomen ex Hieronimi chronicis sumptum esse, ubi ad ann. 1936 Abrah. legitur: *Vultacilius Plotus Pompei libertus et doctor*, qui a Suetonio (*rhet.* 3) Voltacilius Pilutus appellatus est. Sed hoc nomen, ut Ermestes, ex Ermes, id est nomen facundi Atlantis nepotis (Ov. *fast.* 5,668), nullis argumentis niti scribit Marx, *Prolegomena* 151. Quod si

ret, id, quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere, illos distribuisset dupliciter et bipertito.

Constitutio est prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione coniuncta.

- 5 Constitutiones itaque, ut ante diximus, tres sunt: coniecturalis, legitima, iuridicialis.

Coniecturalis est, cum de facto controuersia est, hoc modo:

- “Ajax in silua, postquam rescit, quae fecisset per insaniam, gladio incubuit. Vlixes interuenit: occisum conspicatur, corpore telum cruentum educit. Teucer
10 interuenit: fratrem occisum, inimicum fratris cum gladio cruento uidet. Capitis accessit”.

Hic coniectura uerum quaeritur; de facto erit controuersia: ex eo constitutio causae coniecturalis nominatur.

19. Legitima est constitutio, cum in scripto aut e scripto aliquod controuersiae nascitur. Ea diuiditur in partes sex: scriptum et sententiam, contrarias leges,
15 ambiguum, definitionem, translationem, ratiocinationem.

ne Marx quidem *Pilutum* istum cum Plotio Gallo, nominum quadam ductus similitudine, comparare ausus est, quem Plotium ille contenderet, cum *Rhetorica ad Herennium* coniungendum esse, utpote qui ex Latinorum rhetorum ludo exstitisset, non equidem uelim longius quam Marx me prouectum et credere Plotium Gallum sub Piluti nomine celari. A. Reifferscheid: *C. Suetoni Tranquilli*, p. 124: “*Voltacilius Plotus / Plotus scripsi ex Hieronymo: Ol. 174, a. 673. In eo errat Hieronimus, quod Voltacilium Cn. Pompei libertum nominat. Suetonius patronum omnino non nominauit*”. De hac re egerunt Kayser et Marx et Robinson. Kayser contendit codice Cauchii App. cr., p. 16,17 *voltacilius plotius k²* traditum esse, et in disputatione, quae inscribitur “Zu Cornificius”, p. 273 adn. 2, scripsit: “*Voltacilius plotius in Kz könnte, wie manches andere in dem exemplar von Cauchius nur eine Vermutung dieses gelehrten selbst sein.*” F. Marx autem, *Studia Cornificiana* 381, quae necessaria sunt, ea nos docuit: “Porro Caucius in codice suo satis bono (*k* [v. Kayser XXV] adiectum fuisse testatur hoc loco *uoltacilius plotus*, quod commentum uiri docti cuiusdam esse saeculo XV factum Kayser arbitratus est *Philologi* uolumine XII p. 275. Non recte iudicauit. Nam in Corbeiensi (C) idem exstat ab ea quae scholia adscripsit manu additum *uolcaedius plotus*. Id uero neque eruditionis eximiae neque Suetoni saeculo VIII lecti testimonium esse duco, sed Hieronymo deberi probabile est: etenim apud Suetonium *de rhet.* 3 rhetor ille nominatur *Voltacilius Pilutus*, apud Hieronymum *Vultacilius Plotus*, Cn. Pompei libertus et *doctor* (Euseb. ed. A. Schoene II p. 133 ad annum 1936 Abr.). Praeter Marium Victorinum et Hieronymum etiam Isidori origines adhibuit scholiasta”. Marx, *Prolegomena* 17, neque clarius neque diligentius rem exposuit. Robinson, pp. 44sq., scripsit: “*Pitholaus* Gyraldus, Hertz 1888, *Pilutus ω Plotus* codd. Hier. (Reif.)”. Sed Robinson umbras collegit nec quicquam satis certum in Suetonianis codicibus inuenit. Nam omnia tam incerta ex Suetoni codicibus Brugnoli protulit, ut cruces loci desperati potius ei dixerim adhibendas fuisse. Haec tamen incertissima tacite praeterire nolui, neque ita desperata iudicare, ut Ploti nomen omnino tacerem. Vtrum Hieronimus haec ementitus fuerit, et sub Piluti nomen Plotius latuerit necne, incertissimum manet, neque unde Votacili Piluti nomen exstiterit, patet. Glossa omnino uidetur in textum inrepsisse, neque tantum unde uenerit, sed, num prorsus quouis ex loco antiquo uenerit, nobis dixerim quaerendum esse. Hanc rem posteris reliqui tractandam, sed nomen ‘Plotium’ nunc primus inserere ueritus non sum.

Ex scripto et sententia controuersia nascitur, cum uidetur scriptoris uoluntas cum scripto ipso dissentire, hoc modo:

“Si lex sit, quae iubeat eos, qui propter tempestatem nauem reliquerint, omnia perdere, eorum nauem ceteraque esse, si nauis conseruata sit, qui remanserunt in nauis. Magnitudine tempestatis omnes perterriti nauem reliquerunt in scapham conscenderunt praeter unum aegrotum: is propter morbum exire et fugere non potuit. Casu et fortuito nauis in portum incolumis delata est; illam aegrotus possedit. Nauem petit ille cuius fuerat”.

Haec constitutio legitima est ex scripto et sententia.

20. Ex contrariis legibus controuersia constat, cum alia lex iubet aut permit- tit, alia uetat quippiam fieri, hoc modo:

“Lex uetat eum, qui de pecuniis repetundis damnatus sit, in contione orationem habere: altera lex iubet, augurem in demortui locum qui petat, in contione nominare. Augur quidam damnatus de pecuniis repetundis in demortui locum nominauit; petitur ab eo multa”.

Constitutio legitima ex contrariis legibus.

14–15 in demortui locum nominauit petitur **HBCPIIA¹V¹Zcπ**(i.d.l. nominatus est π)**B^s** Kayser Marx Caplan Calboli '69 Adamik Müller in demortui locum qui petat nominauit **LV²A²db-foOB^u**(petat in contione nominauit petitur **B^u**)**n**(petat et in contione nominare **n**)**h**(petat in contione nominare **h**)**Ur**(qui petit ex petat? **r**) Achard Nüßlein.

* Verba quae sunt *qui petat* ex superioribus *qui petat* uidentur a quodam scriba falso addita esse, et aliter ab alio mutata esse, quod est additionis indicium non leue. Cum loci significationi repugnare uideatur, cur Achard haec uerba receperit, non intellego, cur Nüßlein, qui Achard sequi quoquo modo instituerit, intellego.